INSTITUTIONES THEOLOGIAE DOGMATICAE, IN DUOS TOMOS DISTRIBUTAE...



INSTITUTIONES
THEOLOGIAE DOGMATICAE,

In duos Tomos distributae.

OPUS POSTUMUM


NICOLAI
CAPASSI
In Regio Archigymnasio Neapolitano
olim Juris Civilis Antecessoris.

TOMUS ALTER.



NEAPOLI MDCCLIV.
Ex Regia Typographia Seraphini Porsile.
Expensis Marci Laurentii.
Annuentibus Superioribus.





LIBER QUARTUS

De Peccato Originis.

Controversia de Peccato Originali, ut docet S. Augustinus Libro I. adversus Julianum Cap. 2., est de solido Christianae Religionis fundamento. *Alia sunt*, inquit, *quibus aliquando inter se, etiam doctissimi, atque optimi Regulae Catholicae Defensores, salva Fidei compage, non consonant; & alius alio de una re melius dicit, & verius*: hoc autem, unde nunc agimus, ad ipsa Fidei pertinet fundamenta. Quisquis in Christiana Fide vult labefactare, quod scriptum est: *per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur, ità in Christo omnes vivificabuntur*; totum, quod in Christum credimus, auferre molitur.

Primus, qui hunc Ecclesiae Catholicae Cardinem divellere conatus est, fuisse dicitur Pelagius, ex magna Brittannia oriundus, Monasticum institutum professus in partibus Orientis, qui tandem in Patriam reversus, post-

quam errores ſuos alibi etiam ſparſerat, totam ferè patriam veneno infecit ſuo. Angli verò, implorata Gallorum ope, quum apud iſtos clarior eſſet doctrina, per Germanum, Lupum, alioſque Epiſcopos, inſulam à Pelagiana haereſi expurgarunt, ut narrat Venerabilis Beda in Libro de Ratione temporum. Celebrata etiam fuere adverſus Pelagium duo Concilia, Carthaginenſe, & Milevitanum.

Pelagii haereſim amplexi ſunt Coeleſtius ejus diſcipulus, & ipſe Monachus, ut refert Gennadius in Cathalogo illuſtrium virorum, Petrus Abailardus, teſte S. Bernardo, Epiſt. 190., & poſt eum Albigenſes, ex Sancto Antonino parte IV. Summae, titulo ſecundo Cap. 7. §. 5. Saeculis noſtro proximioribus, eandem ſcoriam recudere adorti ſunt, Hulricus, Zuinglius, Anabaptiſtae, & veterum ſordium hirundines Sociniani, qui omnes antiquorum faeces in unam ſectam congeſſerunt. Adverſus cuncta haec monſtra, unus ſatis eſt Hercules, Auguſtinus, qui quum contrà Pelagium, & Julianum Eclanenſem Epiſcopum, aequales nimirum ſuos, ſcribere aggreſſus eſſet, rem hanc adeò ſolidè, fusèque tractavit, ut poſteriores, non quod ei adderent, ſed quod ex eo colligerent, dumtaxat invenerunt. Unde non verentur Sociniani dicere, Auguſtinum hujus articuli autorem eſſe, neque ſeorſum ab eo Eccleſiam id credituram fuiſſe, quod tamen falſo jactant, ut infra demonſtrabitur.

PRO-

PROPOSITIO PRIMA.

De Fide est, culpam primi Parentis in omnes Posteros transfundi.

PRobatur primò autoritatibus Veteris Testamenti. Job Cap. XIV. *Quis potest facere mundum, de immundo conceptum semine? nonnè tu, qui solus es? Breves dies hominis sunt*: ita legit nostra Vulgata: at ex Versione septuaginta Interpretum, quam passim Augustinus Lib. XX. de Civitate Dei Cap. 26., ceterique Patres allegare solent, sic habet: *Nemo mundus à sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram*. Quamcumque tamen sequamur Lectionem, constat, omnem hominem immundum esse à nativitate: at infantes, non possunt esse actuali culpa inquinati, quia sine rationis usu, actuale peccatum non committitur; neque immundi possunt dici ex ipsa natura, nullius enim rei natura per se immunda est, ex illo Genesis I.: *Vidit Deus cuncta, quae fecerat, & erant valde bona*. Sequitur ergò, infantes eâ maculâ immundos esse, quae per originem trahitur.

Secundo. Psalmo L. ait David. *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*. Quae verba intelligi nequeunt de peccato parentum; constat enim Davidem, non ex illicita conjunctione, sed ex justis nu-

ptiis, procreatum fuisse. Praeterea Psalmographus ibi argumenta conquirit ad conciliandam sibi Dei misericordiam; aliena autem peccata nihil ad nostrum attenuandum conferunt: atqui eadem est ratio de Davide, ac de aliis: omnes igitur in iniquitate concipiuntur.

Nec obstat, quod peccatum originis unum sit, David verò dicat in *iniquitatibus*, numero plurativo: nam una Adami culpa, multiplex scelus complexa est, ut observat S. Augustinus in Enchiridio Cap. XLV. *Superbiam nimirum ob affectatam Divinitatem, eritis sicut Dii: sacrilegium, quia Deo non credidit: homicidium, quia se praecipitavit in mortem: fornicationem, quia integritas mentis humanae, serpentina suasione corrupta est: furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est: avaritia, quia plusquam illi sufficere debuit, appetivit.*

Tertio. Circumcisio instituta fuit, ad tollendam originalem culpam; sic enim dicitur Genesis XVII. *Masculus, cujus caro praeputii circumcisa non fuerit, peribit anima ejus de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*. Perire autem non intelligitur de morte temporali, quum etiam circumcisi morerentur; de morte igitur aeterna accipiendam; at cur sine ullo voluntatis arbitrio? Respondet Augustinus Lib. de Peccato Originali Cap. XXX., *Quia infans pertinet ad massam damnationis, & justè, ex Adam natus, nisi indè fuerit, non secundum debitum, sed secundum gratiam liberatus.*

Ex Novo Testamento probatur. Primò ex Cap. V. ad Romanos: *Sicut per unum hominem*

nem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Respondent Sociniani, non loqui Apostolum de peccato actuali Adami, qui pravo suo exemplo posteris viam monstravit transgrediendae Divinae legis; quod imitati homines, peccatores facti sunt, mortique obnoxii: non quidem morti naturali, quae omnibus, & ipsi Adam natura contingere debebat, sed morti properatae ob sceleris ultionem.

At non pudet, exceptionem istam toties recoquere, quum jamdudum illam in Pelagianis, Augustinus rejecerit. Si de peccato actuali sermo esset Apostoli, jam verum non esset, per Adamum in Orbem intrasse: nam ante illum peccavit Heva: Si homines per Adamum peccatores fierent, merâ imitatione exempli ipsius, non autem participatione naturae; cur non potiùs per Angelum, in eos mors pertransiit? Nonnè Legis Divinae violatores, Angelum transgressorem imitantur, ac primam matrem Hevam? cur potius non dicit, homines in Angelo peccasse, vel Heva? Augustinus II. in Julianum Cap. 56.: *Quia non imitationem, sed generationem volebat intelligi, sicut enim à muliere initium peccati fuit, sic initium generationis à viro est*.

Insuper ex Apostolo ibidem: eadem ratione, Adamus est causa peccati, quâ Christus est causa justitiae: Atqui Christus non est causa justitiae per imitationem tantum, sed per veram, & realem justitiae communicatio-

nem; ergo Adamus est caussa peccati per veram communicationem, non per solam imitationem. Aliud est ex eodem argumentum, Sermone XIV. de verbis Apostoli: *Christus est Salvator omnium, Redemptor omnium, pro omnibus mortuus est*: ita citato Cap. V. ad Romanos, Paulus inquit: *Commendat autem suam caritatem Deus in nobis, quoniam quum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*; ergo etiam pro infantibus. At quomodo salvos eos facit, si nulla est in eis originalis aegritudo peccati? unde redimit, si non sunt per originem primi hominis venundati sub peccato? praeterea Christus mortuus est pro impiis, ex Apostolo ibidem: Sanguis ipsius effusus est in remissionem peccatorum; ergò infantes sunt impii, indigent remissione, si Christus pro iis mortuus est.

His accedit, quod Pelagiana sententia destruit necessitatem Baptismi. Si enim infantes puri sunt ab omni macula originis, non est illis Baptismus necessarius; quippè, qui mundus est, non indiget lavacro, *nec opus est valentibus medicus, sed malè habentibus*. Concedere igitur oportet, infantes etiam sine Baptismo fieri gloriae Coelestis participes; at contrarium docet Christus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Coelorum*.

Respondebat Julianus: Baptismum non esse necessarium ad vitam aeternam, sed tantum ad coelestem beatitudinem: hinc pueri sine Baptismo decedentes, non consequuntur Regnum

Coelo-

Coelorum, ſed innocentiae cauſa, aeterna tantùm vita fruuntur. Vides ſcaturiginem illius fabulae de Limbo puerorum, quam Pelagius Architectus compegit, ut teſtatur Auguſtinus: nè enim, vel contrà Evangelium non Baptizatos in Regnum Dei admitteret, vel contra juſtitiam inſontes, ut ſupponebat, ad aeterna ſupplicia damnaret, medium locum commentus eſt, ubi naturalis fruitio eſſet; ac tunc primùm audita haec diſtinctio, inter gloriam Beatorum, & vitam aeternam.

Replicat Auguſtinus. Vita aeterna extrà Regnum Coelorum, verum exilium eſt; cur ergò infantes, qui ad Dei imaginem creati ſunt, & puri, innocenteſque ſupponuntur, hoc immani exilio plectentur? Dei ideam habent, quem ignorare non poſſunt; ergò vel eum contemplari, ſummèque hoc bono frui cupiunt, & deſiderium non explere, maxima eſt omnium poena: vel non deſiderant, & hoc perverſitatem mentis arguit; ac talis error non levior poena eſt; inſontes igitur in hac hipotheſi, non ſunt punitionis expertes. Hoc autem novum in Eccleſia, ſubdit eodem Sermone XIV. de verbis Apoſtoli: *prius inauditum eſt, eſſe vitam aeternam, praeter Regnum Coelorum; eſſe ſalutem aeternam praeter Regnum Dei: primus hic error averſandus ab auribus, extirpandus à mentibus.*

Ulterius. Chriſti verba repugnant, Johannis III. *Qui credit in Filium Dei, habet vitam aeternam; qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.*

Quum igitur infantes non credant, quomodo vitam habere possunt aeternam? neque dicas, eos non esse incredulos, qui credere non possunt, alioqui nec ipsi Baptizati infantes vitam consecuturi sunt, quia credere nequeunt: nam virtute Sacramenti Baptizati, Fidelium numero habentur; & licèt nec corde Christum confiteantur, computantur tamen in numero credentium; neque debent Christianorum filii deterioris esse conditionis iis, qui ante institutam circumcisionem salvabantur in fide parentum: quum itaque infantes Baptismo non sanctificati, nullum habeant credulitatis testimonium; sequitur, eos sub ira Dei manere; at non propter actualem culpam, ergò propter originalem. *Dic*, inquit Augustinus, *parvulos quum baptizantur non erui de potestate tenebrarum, & cum magna injuria Dei per universam Ecclesiam exorcizari, & exsufflari imagines Dei.*

Denique, mors est poena peccati, ut patet ex comminatione, primis Parentibus à Deo facta: *Quacumque die ederitis ex eo, morte moriemini*. Et Sapientiae primo: *Deus mortem non fecit; impii autem manibus, & verbis accersierunt illum*. Calamitates quoque, quibus in hac vita obnoxii sumus; angustiae, quibus undique conflictamur, poenae sunt, quae culpam aliquam supponere debent; ut enim sapienter Augustinus monet Lib I. Operis imperfecti Cap. 39., *sub Deo justo miser esse quisquam, nisi mereatur, non potest*; sed his miseriis premuntur infantes; rei sunt igitur alicujus peccati.

Quamobrem rectè considerat idem S. Doctor

ctor Serm. CLXVI. de Tempore, distingui in Scripturis mortem primam, & mortem secundam. Prima mors est, quâ anima per culpam discessit à Creatore suo, & per poenam exclusa est à corpore suo. Secunda est animae, & corporis sempiterna damnatio. Sic duplex resurrectio, una, quâ per Baptismum cum Christo resurgimur; altera qua per gloriam ad regnandum cum ipso resurgemus. Apocalypsis Cap. XX. 6. *Beatus, & Sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem.* Et Cap. XXI. 8. *Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure:* quod est mors secunda. Consequens indè est, infantes, qui non habent partem in resurrectione prima, & primae morti subjecti sunt; secundam quoque mortem incurrere, neque in secunda resurrectione partem habere.

Probatur etiam Catholicum Dogma, Traditione. Postquam enim Pelagii exitialis opinio emersit, ubi venenum spargi coeperat, ibi salutare adhibitum est remedium. Hinc Romae, Carthagini, Diospoli error ille damnatus est; & tanta fuit in eo articulo Ecclesiarum sollicitudo, ut coactus sit Pelagius ad evitandum imminens anathema, ore saltem, impietatem suam detestari. Ex illo autem tempore, quotquot fuere Ecclesiae Doctores, tùm in Oriente, tùm in Occidente, peccatum originale hactenus agnoverunt. Superest, ut illam purgemus calumniam, quam & Sociniani nunc, & olim Pela-

giani

giani jactabant, Augustinum, scilicet, fuisse hujus Dogmatis autorem, quod vetustior Ecclesia ignoraverat; unde S. Praesul videns, tantà impudentià, id adversum se proferri; ait Lib. II. de Nuptiis, & Concupiscentia Cap. 12. *Non ego finxi originale peccatum, quod Catholica Fides credidit antiquitus; sed tu, qui hoc negas, sine dubio es novus haereticus.*

Ad coercendum igitur Sectariorum audaciam, adfert Augustinus Libro I. contrà Julianum Cap. 3. veterum testimonia Patrum, qui anteactis saeculis vixerant. Citat autem S. Hilarium, Cyprianum, Iraeneum, Athanasium, Basilium, Nazianzenum, Chrysostomum, quibus addi possunt Justinus Martyr, qui in Dialogo cum Tryphone Judaeo, ait: *totum genus humanum per Adam in mortem, seductionemque serpentis incidisse*; Et Tertullianus in Libro de Testimonio Animae Cap. III. de Adamo loquens, inquit: *Exindè totum genus humanum de suo semine infectum, suae etiam damnationis traducem fecit.* Sed ex superabundanti haec afferuntur; tot enim sunt praeclara Scriptorum argumenta, ut nemo eorum vim non sentiat, nisi qui ad Solem caecutiat.

Nunc objecta sunt diruenda. Opponunt primò Ezechielis XVIII., *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur: Filius non portabit iniquitatem Patris, & Pater non portabit iniquitatem Filii: Justitia justi super eum erit, & impietas impii, erit super eum.* Quae omnia falsa sint, si nos primi Parentis scelus, poenamque luamus.

Respon-

Respondeo, Prophetam loqui de peccatis actualibus, quibus unus pro altero non tenetur; ferebatur enim per Judaeos proverbium illud. *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt*; quos ut vanitatis argueret Ezechiel, ait: *filius non portabit iniquitatem patris*; scilicèt actualem: unde inquit: *Vivo ego, dicit Dominus: si erit ultrà vobis parabola haec in Proverbium in Israel, ecce omnes Animae meae sunt, & anima patris, ita anima filii mea est.* Peccatum autem originale, non est nobis alienum, sed nostrum; ideòque justè pro eo plectimur; *alienum quippè est*, inquit Augustinus, *proprietate actionis, sed nostrum contagione propaginis.*

Opponunt II. Homo per Baptismum, originali culpa mundatur; quum igitur hominem generat, non potest illam culpam in alterum transfundere, quam ipse non habet.

Respondet Augustinus Lib. II. de Nuptiis, & Concupiscentia Cap. 34. *Hominem per Baptismum fieri filium Dei secundum spiritum, non secundum carnem: generat autem alterum hominem, non secundum spiritum, quo est filius Dei, sed secundum carnem, qua est filius saeculi, quum adhuc in eo vigeat libido: quum itaque contagio peccati fit ex carne, qui generatur secundum carnem, contrahit originis sordes, licèt Pater sit sancto Lavacro ablutus.*

Opponunt III. Qui adstruit originalem culpam, facit Deum autorem peccati, quae horrenda blasphemia est. Illud autem probatur: vel peccatum originis contrahitur à corpore,

quia

quia corpus inanime, nihil poteſt vel boni committere, vel mali; neque juſtum eſſet ob delictum corporis, animam innocentem puniri: non ab anima, non eſt ex traduce, non ex propagatione ſeminis Adae, ſed à Deo creatur; ſi igitur à prima ſua origine immunda eſt, peccatum refunditur in Deum ejus autorem. Ità Solis lux in Deum refertur, quia Soli ab origine convenit; creatus enim eſt, ut praeeſſet diei; ſi ergò anima immunda eſt ab ipſa creatione, macula illa in Deum Creatorem refundenda eſt. Hinc Theologi colligunt, non potuiſſe Angelos in primo ſuae creationis momento peccare, nam malum ipſum Deo tribueretur.

Reſpondet Auguſtinus Lib. V. contrà Julianum Cap. 3. *Peccatum originale non contingere animis hominum ex vi actionis, per quam à Deo creantur; ſed ex vi conjunctionis cum corpore, quod ratione ſeminis, eſt pars ipſius Adami*. Anima ergò ex vi ſuae creationis, eſt velut aqua puriſſima, quae tamen corrumpitur, ſi in vas ſordidum infundatur; ſic anima faeditatem contrahit ex ſua conjunctione cum carne vitiata, & impura.

Quarto opponebat Julianus. *Non peccat qui naſcitur, quia conſilii, atque electionis eſt expers: non peccat, qui generat, alioquin illicitum eſſet opus conjugii: non peccat, qui condit, quum ſolius bonitatis ſit artifex; per quas igitur rimas inter tot praeſidia, peccatum fingis ingreſſum?*

Reponit Auguſtinus Lib. II. de Nuptiis, & Con-

Concupiſcentia Cap. 28. *quid quaeris latentem rimam, quum habeas apertiſſimam januam? per unum hominem*, ait Apoſtolus: *per unius delictum*, ait Apoſtolus: *quid quaeris amplius? quid quaeris apertius? quid quaeris inculcatius?*

Denique opponunt. Sine voluntate, peccatum eſſe non poteſt: ſed in peccato originali nulla eſt ratio voluntarii; nullum igitur eſt peccatum.

Reſpondeo: in peccatis actualibus requiri voluntatem phyſicam: at in peccatis originis ſufficere voluntatem moralem, ſivè ut ſit voluntarium in capite; & licèt infantes non ſint capaces electionis phyſicae, ſunt tamen capaces electionis moralis; hoc eſt ejus, qui ſe habet tamquam morale aliorum caput. Sic pacta conventa inter Principem, & Majores populi, obligant etiam alios cives, qui moralitèr per ipſos repraeſentantur. De cetero, ut aliquis ſit reus criminis, non ſemper propria ipſius requiritur, & phyſica voluntas, dicente Apoſtolo ad Romanos VII. *Non quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago: jam igitur non ego operor illud, ſed quod habitat in me, peccatum.*

AP-

APPENDIX

In quo consistat Originale peccatum.

Difficultas hujus rei explicandae, vel ex ipsa opinionum varietate satis deprehenditur. Mathias Flaccus Illyricus, Lutheranae Sectae, & inter Centuriatores Magdeburgenses non infimi nominis, docuit, peccatum Originale esse propriam hominis substantiam, quod per Protoplasti delictum, substantia omnium descendentium, sit immutata; ità ut ex imagine Dei, facta sit imago Diaboli. Quae sententia est omnium absurdissima; quum enim omnis substantia à Deo sit, Deus esset causa originalis culpae, quod repugnat: malum enim non potest esse ab eo, quod est bonum per essentiam. Praeterea intolerabilis est error, substantiam spiritualem mutari potuisse per peccatum primi hominis: anima enim variae tantum modificationis est capax, vel ob indifferentiam voluntatis, quae ad hoc, vel illud amandum se convertit, vel ob perceptionem intellectus, in quo vel hujus, vel illius rei excitatur. Falsum itaque prorsus est, animas filiorum Adae, per istius peccatum, substantialitèr mutatas fuisse.

Albertus Pighius Campensis Controversia prima, censuit, peccatum originale communicari hominibus per imputationem, quatenus illud ipsum Adami scelus, Deus imputat omnibus

bus

bus posteris ; non secus ac Princeps crimen Majestatis à patre commissum, imputat filio. Sed haec opinio non videtur probanda : ex ea enim sequitur, solam poenam descendentibus communicari, non autem culpam : ipsum quippe Adami peccatum quum sit formalis, ac singularis inobedientia ejusdem, posteris communicari nequit ; ergò ipsum Adami peccatum in individuo, non est, quod in nobis originale vocatur ; At erroneum est dicere, soli poenae nos subditos esse, non autem culpae participes, ut definitum est in Concilio Arausicano II. Can. 2., & Tridentino Sessione III. Cap. 2. ; igitur peccatum originis, non consistit in mera imputatione.

Neque facit pro Pighio, quod Apostolus dicit : *in Adamo peccasse omnes ; judicium esse ex uno delicto, in condemnationem : per unius hominis inobedientiam, peccatores constitutos esse multos* : illae enim formulae non indicant, peccatum descendentium, sed tantum esse causam peccati originalis, quod omnibus adhaeret ; quemadmodum quum ait idem Apostolus: *Per unius obedientiam justi constituti sunt multi* ; non significat, hominem esse justum per ipsam actualem obedientiam Christi, sed tantum hanc esse causam meritoriam nostrae justificationis.

S. Anselmus in Libro de Partu Virgineo, eumque secuti Scotus, Hokamus, aliique passim, docent, quod peccatum originale est privatio justitiae originalis debitae in esse, quam Adamus accepit pro se, & posteritate sua. Quum

enim

enim peccatum sit formaliter injustitia, injustitia autem nihil aliud est, quam carentia justitiae; sequitur, peccatum originale esse carentiam justitiae originalis.

Haec autem sententia merè Scholastica est; nihil scilicet exhibens, quod distinctè percipiatur, sed omnia per ideas confusas. Si peccatum originale est mera privatio justitiae originalis, quum Deus hominem hac justitia privarit, Deus erit peccati autor. Ajunt, nos esse debitores Deo illius justitiae, quam in Adamo accepimus, & amisimus. At nulla profertur, vel proferri potest Lex, qua obligentur omnes tùm adulti, tùm infantes ad habendum justitiam originalem; quum dari lex nequeat, qua ad impossibile obligemur, hoc est, ad id habendum, quod Deus nobis communicare noluit: infantes verò neque rationis utendae potestatem habent, neque liberi arbitrii facultatem, quà legi parere possint, quamobrem non sunt sub lege, ideoque nec sub peccato: *peccatum enim non est, nisi per legem*, ait Apostolus.

Praeterea: licèt homo aliquid amittat per culpam, non tamen sequitur, carentiam rei amissae, esse peccatum, ut si quis immoderato vini usu incidat in apoplexiam, peccavit quidem quum nimium potando, sanitatem amisit; at carentia sanitatis nunc in eo, peccatum dici non potest. Igitur, qui ita sentiunt, in eundem scopulum impingunt, quod originale peccatum, sit mera poena, nam privatio justitiae poena est; qua peccans homo punitus fuit,

quae

quae sanè jactura potest esse in omnibus motivum afflictionis, crimen vero nulla ratione dici posse videtur.

S. Thomas prima secundae quaest. 82. artic. 1. docet, peccatum originale habere privationem originalis justitiae, & cum hoc, inordinatam dispositionem partium animae: undè non est pura privatio, sed habitus quidam corruptus, & vitiorum originem innatus. Sed contrà est; quod habitus, vel est acquisitus, vel infusus, vel naturalis: habitus acquisiti infans non est capax, hic enim comparatur ex frequentatis actibus. Habitus verò infusi, vel naturales, à Deo tantum communicantur; si igitur originale peccatum est habitus ex horum genere, Deus erit autor peccati.

S. Augustinus innumeris locis, praesertim verò in Lib. de Peccatorum Meritis, & Remissione Cap. XXVIII., & Lib. I. de Nuptiis, & Concupiscentia Cap. 8., docet: peccato Adami infectam fuisse totam posteritatem occulta quadam tabe, & contagione, quae est concupiscentia carnis, de qua ait Apostolus: *Sentio aliquam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae*. Quum autem homo baptizatur, ignoscitur ei peccatum originale, non tollitur concupiscentia, sed non est amplius peccatum; remanet tamen ad exercitationem ipsius, ut bonum certamen certans, coronam justitiae mereatur.

Plura tamen sunt, quae hanc Augustini sententiam difficilem reddunt, & incertam. Primò; quia si peccatum Adami carnem suam

vitiavit, & corrupit; oportet dicere, hunc effectum emanasse ex natura ipsius peccati: neque enim fuit objectum voluntat s ipsius Adami, qui nolebat, puto, tantam cladem, & sibi, & posteris inferre. Si ergò Adae peccatum ex natura sua, humanae carni corruptionem attulit; vel hoc fecit qua peccatum, vel qua tale peccatum, hoc est comestio fructus inhibiti. Non qua tale peccatum; quia omnis peccati gravis eadem est natura. Non qua peccatum: nam alioqui si peccatum ex natura sua carnem corrumpit, nostra caro esset tanto magis corrupta, & depravata carne antiquorum, quanto graviora, & plura sinè numero peccata, commissa sunt à primo Parente usque ad novissimum hominem, quod non est tolerandum.

Secundo: peccatum originis, vel est concupiscentia, quatenùs est proclivitas ad malum, vel quatenùs est primus hominis motus. Non secundum; quia primi motus, peccata non sunt, & si essent, non originale, sed actuale peccatum essent. Non primum; quia si ipse actus concupiscentiae dum est involuntarius, non est peccatum: quantò magis potentia ad hunc actum, quae est omninò involuntaria, non erit peccatum: plus enim pugnat cum lege Dei actus malus, quam proclivitas ad malum.

Tertio. Baptismus tollit peccatum originale: At non tollit concupiscentiam; ergo pectum originale, non est ipsa concupiscentia. Dices: per Baptismum non tolli concupiscentiam, sed

sed dominium ipsius : Christi enim gratia facit, ut concupiscentia non dominetur. contra, concupiscentia secundum se, non habet dominium supra rationem, sed tantum potentiam ad dominandum; si igitur peccatum originis consistit in concupiscentia, consistet in hac potentia ad dominandum, quae tamen per Baptismum tollitur.

Haec dicta volui, ne haereticorum cavillis, Dogma Catholicum inficiatur: ipsi siquidem Augustini doctrinâ utuntur, nobisque eam opponunt, existimantes, difficili negotio solvi posse, quod idem Doctor de concupiscentia affirmat. Verum etiamsi, ut supra innuimus, plura sint, quae Augustini sententiam difficilem reddant, eaque sincere jam exposuimus; tamen fateri cogimur cum Bellarmino Lib. V. de Amiss. gratiae & statu pecc. Cap. 13. Concupiscentiam conjunctam in homine cum aversione mentis à Deo, recte dici posse, ante Baptismum habere reatum, non solum per quem ipsa facta est, si consideretur, pars illius habitus corrupti, sed etiam quo facit reum, si consideretur, ut unum quid cum altera parte ejusdem habitus corrupti. Post Baptismum verò, quia pars illa formalis, idest aversio mentis à Deo sanata, & sublata est, ideo sola remanet pars altera, idest concupiscentia carnis, quae non habet reatum, quo faciat reum, neque illum, quo facta est ipsa. Et hoc modo, inquit idem Bellarminus, cohaerent inter se loca omnia S. Augustini, atque etiam excluditur admiratio illa Calvini in Antidoto Sess. V.

Concilii Tridentini, ubi miratur, Patres Concilii rem eamdem, ideſt concupiſcentiam dicere non eſſe poſt Baptiſmum id, quod erat antea. Patres enim rectiſſimè dixerunt, concupiſcentiam poſt Baptiſmum manere, & tamen non eſſe peccatum, ut erat antea; quia videlicet ſeparata ab averſione mentis, non habet annexum reatum, quem antea habebat.

Ceterum, quod vulgò dicitur, ſenſus noſtros corruptos eſſe, & immutatos poſt lapſum primi hominis; id falſum eſſe, demonſtrat Metaphyſicorum peritiſſimus, Pater Malebranchius Lib. I. de inquirenda veritate Cap. 5. cujus ratiocinio neque addere quidquam, neque detrahere per me licet: hac autem ratione diſputat.

Quum homo conſtet ex mente, & corpore; ſequitur, bona ad ipſum pertinentia, vel ſpiritualia eſſe, vel corporea. Dupliciter autem cognoſcere poſſumus, res bona ſit, an mala; vel operâ ſolius mentis, vel operâ mentis, prout eſt conjuncta corpori. Poſſumus item cognoſcere bonum, vel clare, & diſtinctè, vel confusè; v. gr., bonam eſſe juſtitiam, ratione percipimus, non ſenſu; bonum verò eſſe cibum, ſenſu diſcimus, non ratione; nam quum Deus mentem propter ſe tantum creaverit, noluit bona corporea cognoſci per applicationem mentis, utpotè ea indigna, ſed ſine examine, brevi per ſenſum via. Sic omnes ſciunt, lapides non eſſe ad nutritionem aptos, non uſu intellectus, ſed ſolo dictamine guſtus.

Itaque voluptas, & dolor ſunt naturales

notae boni, & mali; sed tantum respectu earum rerum, quae secundum se, neque bonae sunt, neque malae: quum enim sint infrà mentem, nequeunt ipsam, vel beatam reddere, vel infelicem; ideoque non possunt à mente concipi clarè, & distinctè; sed ferimur ad illas instinctu quodam naturae, hoc est per gratam, vel ingratam sensationem. At verò Deus, qui solus est supra mentem, solusque potest eam miseram, vel felicem reddere, qui cognitus, necessario est amandus; noluit se diligi amore illo caeco, & per instinctum, sed amore electivo, & per cognitionem. Sapientissimè igitur, ut in omnibus Naturae Autor, ut nos feramur in bona corporea, producit in nobis sensationem voluptatis, quae in ipsis corporibus non est: si enim in corporibus perciperemus tantùm id, quod sunt, non autem sensationem, quae in illis non est, neque amare, neque uti ipsis possemus, absque fastidio; hinc sola voluptas ad ea bona capessenda satis impellit. Non idem in Deo est; sufficit quid sit nosse, ut feramur in ejus amorem: solus enim est dignus amari, nec opus habet illecebrà voluptatis, velut artificio quodam, ut in amorem nos suum trahat.

His positis: constat, Adamum non fuisse ad amorem Dei incitatum per voluntatem aliquam praevenientem; cognoscebat enim, Deum esse summum bonum, quod necessariò consequebatur amor ipsius, & satis gaudii coepisse credendum est, experimento felicitatis quum Deo magis, magisque se adjungeret, absque alia

alia praecurrente voluptate, quae meritum ipsius imminuisset. Quod fortasse Scriptura intelligit, quum ait Ecclesiastici Cap. XVI. 14. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata, & praecepta sua, &c.*: hoc est, non illum determinando per voluptatem praevenientem, sed per cognitionem tantùm summi boni, officiique ergà illud sui.

De cetero dici nequit, Adamum usum fuisse rebus sensibilibus per cognitionem perfectam analogiae, & habitudinis, quam illae haberent ad corpus suum. Nam si oportuisset, ipsum examinare figuras partium pomi, v. gr. figuras partium corporis sui; quid denique resultaret ex utrisque, ut judicium ferret; an in tali sanguinis calore, fermenti viribus, innumerisque corporis dispositionibus, pomum illud esset ad nutritionem idoneum; sequeretur, capacitatem suae mentis repletam fuisse rebus, quae applicatione mentis indignae sunt, idque frustrà omninò; ea enim ratione non diu se conservavit.

Quum itaque animadvertimus, mentem Adami non fuisse infinitam; consequens est, ipsum non potuisse proprietates corporum omnes omnium, quibus circumdatus erat, percipere: quum illae infinitae sint, & quum mens ipsius creata fuerit, ut assiduè Deum contemplaretur, quod videtur verius, quam ut vestigaret naturam rerum, & configurationem, motumque materiae: absurdum videretur, & praeposterum in statu rerum perfectissimo

simo

ſimo, optimaque omnium conſtitutione dicere, Adamum debuiſſe avertere se à meditatione perfectionum ſummi boni, ut indagaret naturam pomi ad ſe nutriendum.

Habuit igitur Adam eoſdem, atque nos habemus, ſenſus, & ſenſationes, quibus docebatur, quid circà corpus eſſet agendum abſq; hoc, quod à Deo se abalienaret. Sentiebat proptereà voluptatem, & dolorem, etiam injuſſu ſuo, & abſque deliberatione: at non poterant hae paſſiones in ipſum dominari, ut in nos infelices natos; quum enim ille dominus eſſet ſupremus omnis motus, qui in corpore ſuo excitaretur, ſtatim intelligens, coërcere illum potuiſſet, quod in ſenſatione dolorifica ſemper voluiſſe putandum eſt. Heù nimium felicem, & ipſum, & poſteros, ſi idem praeſtitiſſet in ſenſatione voluptatis, neque à Dei contemplatione se diſtrahi ſciviſſet, neque mentem totam occupaſſet, ſperata dulcedine interdicti fructus, vel forſan ſuperba quadam laetitia, quum tot in ſe naturales perfectiones intueretur.

Quamobrem in Dei indignationem prolapſus, amiſit dominium in ſenſus; ità ut voluptates, quae cum obſequio ipſum afficiebant, & dolores, qui ejus felicitatem minimè turbantes, admonebant tantummodò, poſſe infelicem evadere, continuò rebellantes, & priſtinum obſequium obliti, captivum illum, uti nos reddiderunt, rebuſque corporeis manciparunt: proindè ſenſus, ac paſſiones non habent originem ex peccato originali, ſed tantùm earum ty-


tannica dominatio, quae tamen non arguit depravationem ipsorum sensuum, sed potius corruptionem mentis humanae, quae quum amplius non sit arcto vinculo Deo conjuncta, orbata est lumine, viribusque nudata, quibus libertatem suam, felicitatemque servabat.

Colligimus propterèa, omnem corruptionem interiorem esse. Sensus ipsi fideles sunt; quicumque enim intelligit, eos homini datos, non ad cognoscendam veritatem, sed ad conservationem corporis; noverit, eos debitum suum diligentèr exsolvere; admonent enim prompta ope mentem gratâ, ingratâve sensatione, quid ad tuendam vitam facere, vel omittere oporteat. Non equidem sensus nos fallunt, voluntas nostra praecipiti judicio nos fallit. Quum video, v. gr., vel sentio calorem, non erro, si credam, me lucem videre, calorem sentire, sivè post peccatum originis; sed erro quum judico, lucem, quam video, & calorem, quem sentio, esse extrà mentem, & in ipsis corporibus. Hinc per sensus, qui judicat de rebus, quid sint in se, semper fallatur necesse est: non errat, qui utitur sensu ad judicandum, quae sit proportio inter suum, & quae circum sunt, corpora.

Illud fortasse mirum videbitur, cur potius errorem tribuimus voluntati, quam intellectui. Sed animadvertendum est, omnia judicia, & ratiocinia dependere à voluntate, & frustrà esse philosophos, qui distinguunt inter assensum, & consensum, ut ille sit intellectus, hic voluntatis; eadem enim voluntas, quae consentit in bo-

bonum, consentit in verum, & quum ego consentio, bis duo esse quatuor, voluntarius est hic assensus, quia voluntas quiescit in illa perceptione proportionis, quae est inter bis duo, & quatuor; neque intellectum ulteriùs stimulat, quia haec est notio evidens. Erroris igitur vulgaris, haec est causa: putant, omne voluntarium debere esse liberum, quumque voluntas non sit indifferens ad praestandum, vel non praestandum consensum veritati evidenti; ajunt, hoc non esse munus voluntatis. Sed illud falsum est: nam homo voluntariè desiderat felicitatem, etsi non liberè, seù indifferenter, quia nequit illam non desiderare. Beati voluntariè amant Deum, sed non indifferenter. Sic propositio evidens, licèt non relinquat nobis locum dissentiendi; voluntariè tamen in eam consentimus. Regula igitur ad vitandum errorem erit, ut rectè utamur libertate; hoc est, nè assentiamur propositioni, nisi adeò sit evidenter vera, ut negari nequeat, sine remorsu interno rationis. Sed esto hic modus, nè longius divagemur.

LI-



LIBER QUINTUS

De Libero hominis arbitrio, & de Gratia Dei.

INter alios peccati originalis effectus, agnoscunt Protestantes (maximè Lutherani) amissionem liberi arbitrii, quae fuit ratio, cur ad hanc materiam pertractandam, continuò me conferrem. Fuit quidem olim celebris Stoicorum secta, docens, *fato omnia, atque immutabili necessitate contingere*: nullamque esse in homine agendi libertatem, ut dicebat Seneca: *Fata volentem ducunt, nolentem trahunt*; cui necessitati, etiam maximum illum Jovem subjecerunt Poëtae: unde Juppiter apud Ovidium inquit: *Me quoque fata regunt*. Novissimè Benedictus Spinoza, homo ad impietatem factus, perniciosum hoc dogma renovare ausus est, in Ethica sua, docens: voluntatem hominis non esse causam liberam, sed necessariam; quidquid existit determinatum esse ad tali, vel tali modo existendum, tali, vel tali modo operandum. Voluntatem esse certum cogi-

cogitandi modum; ac propterea determinandam esse à Deo, quatenus est substantia cogitans infinita, & aeterna; quin, nec Deum ipsum asserit operari ex libertate voluntatis, aliasque portentosas adnectit blasphemias, quas animus meminisse horret.

Sed neque cum hoc impietatis artifice, neque cum aliis ejusdem notae Philosophastris, disputare hic in animum induxi: nam praeterquam quòd ea res ad Metaphysicos pertinet, magna etiam insania agitari mihi videntur, qui non tantum dubitare, sed etiam praefracte negare libertatem audent: quum de hac re unusquisque interno experimento convincatur, & usu ipso libertatis liberum se esse, interius sentiat; itaque, cum solis haereticis confligere institui, eorumque argumenta, quod Catholicum decet Theologum, examinare, & refellere.

Ceterum, antequam ad alia progrediar, juvat hic cum Malebranchio explicare, quid sit humana libertas, & in quo consistat. Prima Philosophiae Elementa nos docent, corpus quantum nos intelligimus, duarum modificationum esse capax figurae, & motus. Figura verò, vel consideratur in partibus externis corporis, quatenùs est sphericum, quadratum, triangulare, &c.: vel in particulis internis, quibus componitur, quae configuratio appellari solet. Sic substantia cogitans est capax harum modificationum, intellectus, & voluntatis. Intellectus est potentia passiva animae percipiendi plures figuras: ideae autem, vel nobis repraesentant aliquid extrà nos, vel aliquid intrà

trà nos, v. gr. dolorem, & voluptatem; quorum primum assimilari potest corporis figurae, secundum verò configurationi.

Quod autem in corpore est motus, est in mente voluntas; ut corpus est capax multiplicis motus, ita mens multiplicis inclinationis. Deus est autor omnis motus materiae, idem autor est in genere omnis naturalis propensionis, quae est in mente; & sicut omnis motus materiae fit per lineam rectam, nisi ob aliquam causam externam degeneret in circularem; ità omnes inclinationes, quas habemus à Deo sunt rectae, tendunt enim ad possessionem boni, & veri, nisi ab aliqua causa externa determinentur ad malum.

In hoc autem dissimilis est mens à corpore, quod corpus nullam habet actionem, seu vim sistendi motus, vel flectendi ad unam, vel alteram partem; sed si impediatur ferri per lineam rectam, describet orbicularem, quanto fieri possit latiorem, hoc est rectae proximiorem: Deus enim est, qui motum imprimit, ejusque determinationem regit. At verò mens habet vim quamdam activam, qua, licèt non possit omninò sistere impressionem naturalem, quae à Deo est; potest tamen illam inflectere ad hoc, vel illud objectum.

Itaque sub nomine voluntatis intelligitur impressio, seu motus naturalis, qui nos ducit in bonum indeterminatè, & in genere. Nomine libertatis intelligitur vis, quae est in Anima flectendi impressionem illam in objecta delectabilia. Quum enim inclinationes nostrae natura-

tura-

naturales sint vagae, & indeterminatae versus bonum in genere, seù bonum universale, quod est Deus, hic enim solus omnia bona continet, ex vi insita nostrae menti, quae dicitur libertas, terminantur ad aliquod objectum particulare.

Sed nota, quod mens considerata, prout inclinata in bonum generale, non potest eam inclinationem flectere in bonum particulare, nisi considerata, prout est capax idearum, & ità bonum illud particulare cognoscat. Atque hoc est, quod vulgò dicitur, voluntatem esse potentiam caecam, & non ferri in ignotum; neque enim alitèr potest voluntas diversè terminare instinctum naturalem ergà bonum, nisi jubendo intellectum, ut ei repraesentet objectum aliquod particulare; hic autem jussus, est desiderium ipsius voluntatis, quae nullum alium habet agendi modum. Intellectus verò obtemperat voluntati, non quidem producendo in se ideam rei, quam anima desiderat: non enim est facultas activa, sed passiva, sed recipiendo tantùm ideam objecti. Porrò haec idea nunquam deest menti, dummodò se applicet, quia ex voluntate Dei efficaci, quae est naturae lex, inviolabilis fit, ut ideae rerum sint eò magis praesentes, quo ferventius à voluntate desiderantur, quod & experientia discimus, tantò clariores habere rerum ideas, quantò vehementius cupimus res ipsas cogitare, nisi tamen sensationes confusae, quas à corpore percipimus, id prohibeant.

Exemplo declarat praefatus autor, quae supe-

superiùs dicta sunt de voluntate, & libertate. Titius repraesentat sibi Episcopatum tanquam bonum, quod sperare possit: incontinenti voluntas illud appetit, hoc est deflectit ad Episcopatum impressionem illam, quâ mens assiduè fertur in bonum universale. At quia Episcopatus non est bonum universale, neque cognoscitur distinctâ, & clarâ perceptione mentis, uti cognoscitur bonum universale, quod enim non est, nunquam clarè percipitur; hinc est, quod inclinatio, quam habemus in bonum universale, nequit omninò sistere per hoc particulare bonum, sed movetur ut tendat ulterius; proindè non amat Episcopatum necessariò & invincibilitèr, & respectu ipsius, Titius dicitur liber. Itaque ejus libertas consistit in hoc, quod non est plenè convictus, quod Episcopatus contineat omne bonum, cujus ipse est capax amandi; ideoque potest suspendere judicium, & amorem suum, & per consequens quum sit conjunctus enti universali, quo continentur omnia bona, potest alia cogitare, alia amare. Solus igitur Dus potest totam capacitatem explere, quam habemus amandi.

Nunc ad Sectarios redeo. Lutherus in Assertione articul XXXVI. ait: *Quod in ceteris Articulis de Papatu, de Conciliis, de Indulgentiis, aliisque non necessariis nugis, ferenda est stultitia Papae, & suorum; sed in hoc Articulo de servitute arbitrii, qui omnium optimus, & rerum nostrarum summa est, dolendum, ac flendum est miseros, sic insanire*; ibidem ait: *Liberum arbitrium est figmentum in rebus, &* titu-

titulus sine re; quia nulli est in manu quidpiam cogitari boni, vel mali, sed omnia (ut Wicleffi articulus, Constantiae damnatus rectè docet) *de necessitate absoluta eveniunt, quod & Poeta voluit, quando dixit*: Certa stant omnia lege: & Christus Matthaei VI. *folium arboris non cadet in terram sine Patre vestro*: & infrà; *non est dubium, Satana magistro, in Ecclesiam venisse hoc nomen, liberum arbitrium.*

Hic est, nimirum, Lutheri stylus delusorius maledicentissimus, ut verè ex cathedra irrisörium dictare videatur. Nostis itidem, quae argumentandi ratio; *Poëta dicit, &c.* At quia mordax illle serpens contrà proprium sensum, & veritatem intimè exploratam pugnabat, non potuit in ea sententia diù persistere: itaque in Libro de Visitatione Saxonica contrarium fatetur, ut Bellarminus notat Lib. IV. de Gratia Cap. 5. Philippus etiam Melancthon, Lutheri fidus Achates varius est, & multiplex; scilicet, ut in inconstantia quoque, signiferum suum imitaretur.

Melius tamen hi, qui serò sapuerunt, quam Calvinus; Bucerus, aliique, quorum insana opinio, sic obfirmato animo insedit, qui est proprius haeretici characterismus, noluerunt prorsus intelligere, seù potius ità simularunt. Si enim omnia necessitate eveniunt; cur Michaelem Servetum, Trinitatis hostem, infensè adèo persecutus est Calvinus, nec unquam quievit, donec neci eum daret? Si liberi non erat Servetus arbitrii, quì poterat resipiscere, atque jure Calvinus ab altero emendationem

re-

requireret, quam alius ab ipso exigere non posset.

PROPOSITIO PRIMA.

Liberum Arbitrium, etiam post Adami lapsum, in homine manet.

PRobatur primò autoritatibus Veteris Testamenti, quarum tamen illam omitto, quam superius ex Ecclesiastici XV. recitavi: *Reliquit illum in manu consilii sui, &c.* posset enim adversarius respondere: ibi agi de statu hominis ante peccatum. Probo igitur ex illo Moysis in Deuteronomio Cap. XXX. 19. *Testes invoco hodiè Coelum, & terram, quod proposuero vobis vitam, & mortem, benedictionem & maledictionem: elige ergò vitam.* At verò frustrà electio praecipitur, quum eligendi arbitrium denegatur; ità enim Deus impossibilia praeciperet, contra dictum Apostoli; proindè ac si quis jubeat claudum currere, immò valere. Si igitur lex homini data est; oportet ut sit in eo, vel obsequendi, vel contemnendi arbitrium.

Simile est illud Isajae Cap. I. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, si volueritis, & audieritis me, bona terrae comedetis: quod si nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.* Et Cap. XLIX. *Dixi: in vacuum laboravi, sine*

sine causa, & variè fortitudinem meam consumpsi: ubi Hieronymi glossa habet: *Haec universa dicuntur, ut liberum hominis monstretur arbitrium, Dei enim vocare est, & nostrum credere, nec statim, si nos non credimus, impossibilis est Deus, sed potentiam suam nostro arbitrio derelinquit, ut justè voluntas praemium consequatur.*

Secundo ex Novo Testamento: Johannis I., ait Evangelista: *Filium Dei in propria venisse*; hoc est in hunc mundum, tamquam in Regnum, & possessionem suam, vel in Judaeam, quae peculiaris ipsius ditio erat, domesticos autem eum non recepisse, nisi tantum paucos: iis verò, sivè Judaeis, sivè Gentilibus, qui eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, hoc est per fidem adoptari: facere autem potestatem, significat optionem dare, ut possit, si velit eligere. Hominis ergò voluntas sui juris est, & domina suorum actuum.

Respondet cum praeceptore suo Calvino, Theodorus Beza: verbum illud in textu, *potestatem*, significare dignitatem, undè vertit: *dedit eis hoc jus, ut filii Dei sint facti*: ut quum ait Centurio Matthaei VIII. *Nam, & ego homo sum sub potestate constitutus*: indicat, se esse sub alterius praefectura, & imperio; & Lucae XXIII. *Ut cognovit Pilatus, quod de Herodis potestate esset, &c.* Potestas hic ditio, territorium.

Sed putida, & inepta sententia, inquit Petavius Lib. IX. de Incarnat. Cap. 4. quae arguit Graecae proprietatis inscitiam. Potestatis

enim nomen, dupliciter quidem sumi potest, vel absolutè, vel in exemplis allatis. Centurio dicit, se esse in potestate: Christus dicitur, esse de potestate Herodis; ubi nihil exprimitur, cujus rei faciendae sit potestas, sed simplicitèr dicitur, eos subjectos fuisse alieno Imperio; vel sumitur relativè, ut cum Christo ait Pilatus: *Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?* ubi potestas refertur ad usum jurisdictionis, est enim potestas damnandi, vel absolvendi. Sic apud Apostolum: *Potestatem habet figulus faciendi vasa, alia in honorem, alia in contumeliam*. Item: *potestas sedendi, & bibendi*: I. ad Corinthios IX.

Hinc vides, quam absurdè locum illum Johannis traduxerint isti Sacrarum literarum Lanii: *Dedit jus, ut filii Dei facti sint*. Quae enim est haec locutio? dare jus, ut aliquid factum sit: ajunt, in Graeco textu esse, Aoristum, cujus significatio praeteriti est temporis. Ignorant scilicet infelices grammatistae, Aoristum esse tempus indefinitum: indefinitum autem referri posse ad praeteritum, praesens, & futurum, quod Graecae linguae familiare est. In verbis illis Pilati, est etiam Aoristus; verte igitur: *An non potestatem habeo, ut te crucifixerim?* verte Pauli verba: *an non potestatem habeo, ut manducaverim?* vapulabis puto ab Aristarchis, ut vapulavit Beza, non à nostris tantùm, sed & à Daniele Heinsio, aliisque partis adversae criticis.

Accedit, quod Petrus, Ananiam objurgans Actorum V., inquit: *Nonne manens tibi mane-*

manebat, & venundatum in tua erat potestate? quare posuisti in corde tuo hanc rem? quasi dicat: Nonnè tui erat arbitrii vendere, aut non vendere agrum? offerre, vel non offerre pretium? Item Paulus I. ad Corinthios IX.: *Non sum liber? Non sum Apostolus?* Significat autem, potuisse se ab Ecclesiis sumptus accipere; id tamen facere noluisse.

Neque dicat Calvinus; in iis locis agi de libertate à praecepto, non de libertate à necessitate naturali. Frustrà enim est liber, quis à praecepto, nisi etiam à necessitate naturae sit liber; alioqui praecepto parere non potest. Si Ananias necessariò agrum vendidit, & pretium obtulit; temerè omninò Petrus exprobasset: *quare posuisti in corde tuo hanc rem?* immò ad hominem contrà Calvinum, naturalis haec necessitas, & ipsa Dei providentia; sed haec semper eadem fuit, sivè ante, sivè post Adami peccatum; ergo Adam ante lapsum, servus fuit arbitrii, quod ipse negat. Denique Calvinus suo se gladio jugulat: ait enim II. Institutionum Cap. 2. §. 4. *semper apud Latinos liberi arbitrii nomen extitit, Graecos verò non puduit arrogantius usurpare vocabulum, siquidem Autexusion dixerunt, ergò vox liberum arbitrium semper in ore fuit in Graecis, & Latinis, servum arbitrium nunquam.* Atqui monet Apostolus I. ad Thimotheum VI., *ut fugiamus vocum novitates:* ergò liberi arbitrii vox, quae vetus retinenda, non servi, quae nova.

Quod attinet ad Traditionem, taedium esset incredibile, omnes afferre Sanctorum Pa-

rum sententias, quibus humana libertas praedicatur; vigintiquinque, & amplius recitat Bellarminus. Protestantium autem mos est, Sanctos Patres flocci pendere: unde non erubuit Abrahamus Scultetus, ex illorum grege, in Medulla Patrum pagina 46., inter Sanctissimi Martyris Justini errata, hoc rejicere, quod magnificè senserit de libertate voluntatis humanae, eamque opinionem in Platonis schola eum didicisse, calumniatur. Sed nullum est opus ad autoritates Patrum recurrere, quando sensus communis, & lumen Dei, quod est in hominis mente, reclamat. Si libertas non est, jam Christi fides non est, immò nulla est Religio. Si libertas non est, nihil bonum est, nihil malum, frustrà sunt leges, frustrà Civitates, frustra sunt omnia.

Opponunt primò Adversarii, quaedam ex Sacra Pagina. Proverbiorum XXI. *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud*. Huic autem similia sunt, quae habentur III. Regum XII. *Ubi Deus inclinavit cor Roboami, ut spreto consilio seniorum, sequeretur consilia juvenum*. Et II. Regum XVII. *Domini nutu dissipatum est consilium Achitophel, ut induceret Dominus super Absalon malum*. Deus igitur Absalonis mentem pervertit, ut amplecteretur consilium Chusai. Item apud Isajam Cap. XXVI. dicitur: *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*. Et I. ad Corinthios XII. *omnia in nobis operatur &c.*

Respondeo: textum Proverbiorum alitèr legi in Graeco, alitèr in Hebraeo Codice. Graecè est: *Sicut impe-*

impetus aquae, ita cor Regis in manu Dei. Sensus autem videtur esse, quod quemadmodum vis fluminis à nullo coërceri potest, solâ lege Divinâ, vel naturali, quae ipsa Dei voluntas est, impeditur. Hebraicè verò sic habet: *rivi aquarum cor Regis in manu Dei*; quasi dicat Sapiens. Corda Principum, licet potentia, fastuque inflàta à nemine flecti possint: tàm facile est tamen Deo ea flectere, & inclinare, quam facile est hortorum cultori aquas fontis, quae lenitèr fluunt, quocumque velit derivare; sed sicut iste non imprimit motum aquae, sed tantum viam aperit ad declive, ità Deus non cogit Principis libertatem, sed tantum ea proponit voluntati, quae facilè sit amplexura.

Ad id, quod addebatur: Deum operari in nobis omnia opera nostra; id non solum libenter concedimus; sed insuper falsum esse dicimus, dogma illud gentilis Philosophiae, quod Deus concurrit cum causis secundis, ut vocant, ad opera naturalia, sed solus Deus est, qui omnia operatur, ut solidè demonstravit Malebranchius Lib. VI. de Inquirenda veritate Cap. 3. cujus scrinia compilare tempus negat; sed brevitèr: Corpus nullam vim habet ad se movendum, neque mens potest movere corpus per hoc, quod velit; nulla enim intelligitur necessaria connexio inter velle mentis, & motum corporis. Solum igitur Ens infinitum dat motum materiae, quod aliquid velit, & id non fiat. Et licèt manus mea moveatur, quum volo: non tamen ideò, quia volo, movetur, sed quia ex lege conjunctionis animae cum corpo-

re,statuit Deus moveri corpus,juxta mentis jussa. Quomodo enim potest mens mea movere manum; quum nesciat quomodo sit movenda,quis sit usus nervorum,musculorum, spirituum; constat autem non posse hominem diruere murum, v. gr. nisi sciat quomodo sit diruendus.

Solus igitur Deus est causa motus, adeòque omnium naturalium effectuum. Hinc quum hominem gladio perimo, Deus manum movet, ut ferrum agat in corpus illius; quo sensu Deus ipse conqueritur per Isaiam Prophetam Cap. XLIII. 24. *Servire me fecisti in peccatis tuis, praebuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis*: prava enim voluntas hominis facit, Deum servire peccato; hoc est, facit, ut Deus corpori det motum. Malitia autem actus in hoc consistit, quod impressio à Deo animae indita in bonum generale, flectitur per humanam libertatem in vindictam; v. gr. quod est falsum, bonum, & secundum legem carnis; itaque quidquid ex potentia provenit, Dei est opus; quod ex impotentia, id nostrum est, cujusmodi est malum: *posse enim peccare*, ut ait S. Augustinus, *non est potentia, sed impotentia*; alioquin Deus non esset Omnipotens.

Quare nullae sunt causae secundae, quae habeant formam, vel qualitatem, virtutem, aut facultatem, vel aliud ens reale, quod ex vi suae naturae possit aliquem producere effectum. Eademque ratione, non potest Deus Angelo, vel Animae facere potestatem dandi motum corpori, non minus, quam potestatem creandi, vel redigendi in nihilum. Nam quum po-

tentia

tentia Dei sit ipsa Dei voluntas; communicare potentiam suam, esset communicare voluntatem suam; quo casu corpus movetur, non quia vult quia vult Angelus, sed quia Deus; etenim inter voluntatem Dei, & motum corporis est connexio necessaria; non sic inter voluntatem Angeli, & motum corporis. Sola proindè Dei voluntas erit causa, efficax motus: Angeli verò esset causa, ut dicitur, occasionalis.

Denique si Sol, & Luna, v. gr., haberent vim aliquam, & efficaciam producendi effectum in nobis vel bonum, vel malum; difficile esset ea non amare, vel timere, utpotè quae possent nos vel dolore, vel delectatione afficere: atqui verò adoratio est in amore, & timore posita: non erunt igitur magnoperè culpabiles Ethnici, qui Solem, & Lunam adorarunt; quidquid enim potest in nos agere, ut vera, & realis causa, est supra nos, naturali autem ratione inferiora superioribus servire debent, quae est ratio S. Augustini Lib. VI. Musicae Cap. 5. Cur corpus non possit agere in animam, & nihil esse supra animam, nisi solus Deus; sed de hac re jam satis.

Secundo opponit Calvinus argumenta à ratione petita. Praescientia Dei est causa rerum, ut ait Sanctus Augustinus Lib. XV de Trinitate Cap. 13. *Universas creaturas suas tam spirituales, quam corporales, non quia sunt ideò novit, sed ideò sunt, quia novit.* Quae igitur Deus praescrivit, necessario sunt futura: atqui necessitas cum libertate pugnat; ergò post praescientiam Dei, nihil homo facit ex liber-

tate arbitrii. Praeterea Divina voluntas, quae rerum omnium est causa, jam ab aeterno decrevit quid velit, quid nolit. Voluntati autem Dei resistere, nemo potest, ut Scriptura saepissimè testatur; igitur homines non ex sua, sed ex Dei voluntate operantur, hoc est ex necessitate, non ex libertate.

Hic Rhodus, hic Saltus. Quotquot Theologicam hanc materiam tractarunt à primo ad ultimum, hanc sibi difficultatem resolvendam proposuerunt; nemo hactenus iis, qui rectè judicant, videtur rem involutam felicitèr explicasse. Celsus opposuit Origeni, quod si Christus praedixit proditionem Judae, jam intulit Judae necessitatem prodendi, necessariò enim erat futurum, quod Christus praedixerat. Respondit Origenes Lib. II. contrà Celsum, praedictionem non afferre necessitatem, quia non ideo Judas Christum prodidit, quia ille praedixerat, sed idèo ille praenoverat, quia futurum erat. Eodem modo Chrysostomus Hom. LX. in Matthaeum, exponit illud Evangelii: *Necesse est, ut veniant scandala*; ait enim: *Non quia futura scandala praedixit, ideo veniunt, sed quia futura erant, ideo praedixit*. Ità & S. Hieronymus in Epist. ultima ad Ctesiphontem, & S. Augustinus Lib. de Quantitate Animae Cap. XXXVII.

Scholastici distingunt inter necessitatem consequentiae, & necessitatem consequentis; ajuntque, res futuras evenire ex necessitate consequentiae, quatenùs infallibilitèr eveniunt, at non necessitate consequentis, quatenùs abso-

ſolutè non potuerint alitèr evenire . Diſtinguunt praeterea in Deo duplicem ſcientiam , unam ſimplicis intelligentiae, qua Deus cognoſcit omnia , quae utcumque eſſe poſſunt ; altera viſionis, qua noſcit tantùm quae fuerunt, ſunt, vel erunt ; cauſam verò rerum eſſe primam, non ſecundam ſcientiam , quae ſupponit exiſtentiam rerum : inter primam autem , quae terminatur ad poſſibilitatem , & ſecundam , quae terminatur ad rem exiſtentem , media eſt voluntas, qua decrevit quid vellet aliquando exiſtere .

Sed omnia haec Scholaſticorum aſyla, optimè callebat Cardinalis Cajetanus , fuit enim ſubtiliſſimus Theologus; tamen ingenuè falſus eſt in prima parte quaeſt. 22. artic. 4. , Concordiam liberi arbitrii cum Divina Providentia, videri inexplicabilem, & non intelligibilem in hac vita . Non idcircò tamen de alterutro dubitare fas eſt , alioquin exponat nobis Calvinus Myſterium Trinitatis, vel Incarnationis.

PRO-

PROPOSITIO SECUNDA.

Liberum Arbitrium, secundum se, satis est ad faciendum aliquod opus bonum morale; nequit tamen, vel Fidei, vel Caritatis actum elicere, vel bonum aliquod opus facere in ordine supernaturali, absque Gratia Dei.

EXagitanda hic est Pelagianorum Secta, quae humano arbitrio nimium deferendo, Gratiae Divinae detrahere ausa est. Quis autem fuerit Pelagius, quisve Coelestius, jam superius adnotatum. Ceterum hic error, primum autorem agnoscit Origenem; ab Origene Didymus; à Didymo Rufinus Monachus Aquilejensis, Divi Hieronymi adversarius, à quo demum Pelagius hausit; undè idem Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem. Pelagio exprobrat: *Doctrina tua, Origenis ramusculus est*: Dogma Pelagianorum fuit, gratiam Christi non esse necessariam ad aliquod pietatis opus; postquam verò haec haeresis damnata est, coeperunt admittere gratiam non absolutè, sed ad facilius benè agendum, eamque posse humanis meritis impetrari, mutato scilicet, non ejerato errore.

Extitit praeterea Semipelagianismus, cujus autor fertur Johannes Cassianus, in eamque versati sunt Vincentius Lirinensis, Vitalis Cartha-

thaginensis, & ipse S. Augustinus antequam ad Episcopatum promoveretur, ut ipse refert in Epistola ad Vitalem; & Lib. de Praedestinat. Sanctorum Cap. III. Docebant autem Semipelagiani, quod licet nullum opus bonum potest neque perfici, neque inchoari sine gratia Dei; initium tamen bonae voluntatis est à nobis, cujus intuitu Deus gratiam largitur, ut ait Cassianus, Zachaeo, pio Latroni, & Centurioni contigisse.

Probatur prima pars. Ad faciendum opus bonum morale, non est necessaria gratia habitualis, seù sanctificans, non gratia actualis; ergò simplicitèr fieri potest solis viribus naturae. Probatur antecedens quoad primam partem. Si ad opus bónum morale necessaria esset gratia justificans, sequeretur omnia opera infidelis, vel peccatoris esse mala: hoc autem damnatum est in Concilio Tridentino Sessione VII. Can. 7. ibi: *Si quis dixerit, omnia opera, quae ante justificationem fiunt, vera esse peccata, anathema sit.* Damnavit etiam Pius Quintus has propositiones Michaelis Baii: *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* Item in omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati; ergò non est necessaria gratia habitualis.

Probatur secundum. In statu naturae lapsae, potest homo, solo ductu rationis, referre aliquod opus ad finem honestum, absque ulla gratia actuali; recta enim ratio per peccatum in homine, non est extincta, & referre opus ad finem honestum, est ordinis merè natu-

tu-

turalis: ſed ad ea, quae naturalia ſunt, nulla requiritur gratia actualis; ergo, &c. unde legimus in hiſtoriis, Gentiles nonnullos virtutum moralium actus edidiſſe, caſtitatis, fortitudinis, juſtitiae, temperantiae, &c. quos ſecundum recti normam, non ſolum vituperare non poſſumus; verùm etiam meritò, rectèque laudamus, ut loquitur Auguſtinus in libro de Spiritu, & Litera cap. XXVII.

Verumtamen, eſt difficile Gentiles non corrumpere actus bonos, vel ob finem propriae voluntatis, vel ob inanem gloriam, vel ad tuendam animi tranquillitatem, ut latè diſſerit idem Auguſtinus Lib. XV. de Civitate Cap. 18.: Verum quoque eſt, non poſſe in natura lapſa hominem referre aliud opus ad debitum finem ultimum, qui eſt Deus, abſque Divina Gratia; non enim poteſt referri opus ad Deum, niſi Deus ametur, ſaltem imperfectè, neque ullus agit propter aliquem finem, niſi pondere quodam in eum feratur. Auguſtinus Enarratione I. in Pſalmum 29. Pondus eſt impetus quidam cujuſque rei conantis ad locum ſuum. Pondus autem creaturae rationalis nihil eſt aliud, quam amor ipſius. Idem Auguſtinus Lib. XIII. Confeſſionum Cap. 9.: *Amor meus, pondus meum, illo feror quocumque feror*. Atqui homo lapſus, nec etiam imperfectiſſimè, poteſt Deum amare ſine gratia, neque ut autorem naturae, neq; ut autorem gratiae: quum enim poſt peccatum vehementiſſimè amet ſeipſum; debilis enim evaſit conjunctio, quam cum Deo habebat, fortior verò conjunctio cum corpore, & omnibus rebus corporeis ut ſupra dixi-

diximus; ſequitur non poſſe ſine auxilio Dei ſpeciali, vincere hunc amorem, & illum ad Deum convertere, a quo averſus eſt per peccatum originis.

Probatur ſecunda pars. Actus Fidei, ſupernaturalis eſt; ergò ſine gratia elici nequit; natura enim ſibi relicta, non poteſt ea facere, quae conditionem ſuam excedunt; quum nulla ſit proportio inter naturam, & id, quod ſupernaturale eſt. Neque dicant Semipelagiani, actum ipſum Fidei à Deo eſſe, initium vero bonae voluntatis ab homine. *Quaſi vero*, inquit Auguſtinus Lib. de Gratia Chriſti Cap. XXI., *aliud ſit bona voluntas, quam Caritas, quam Scriptura nobis eſſe clamat ex Deo, & a Patre datam, ut filii ejus eſſemus*.

Confirmatur ex pleriſque Scripturae locis. Ad Romanos II. *ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*. To *omnia* nihil excipit; ergò initium quoque bonae voluntatis à Deo eſt. Ad Philippenſes I.: *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum, ut credatis in eum, ſed etiam ut pro illo patiamini*. Tum I. ad Corinthios IV. *Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* hoc autem teſtimonio se convinctum, fatetur Auguſtinus, Semipelagianiſmum deſeruiſſe.

Accedit autoritas Concilii Arauſicani Secundi, cujus Doctrinam approbarunt Univerſae Eccleſiae: ibi Can. V. definitum eſt, *non tantum ipſam Fidem à Deo, ſed etiam ipſum initium Fidei dari*: alioqui ſi illud initium, quod à nobis eſſet, Fidem à Deo impetraret, jam Gra-

Gratia daretur secundum merita nostra, & sic amplius non esset gratia, juxtà Pelagii sententiam, qui non exiisset impunè à Concilio Diospolitano, nisi eam propositionem coram Patribus damnasset, *Gratia secundum merita nostra datur*, ut refert Augustinus in Epistola ad Xistum.

Denique idem Augustinus Lib. de Praedestinatione Sanctorum Cap. II ex illis verbis Apostoli II. ad Corinthios III. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*; ità optimè concludit adversus Semipelagianos: *Attendant hic, & verba ista perpendant, qui putant, ex nobis esse Fidei coeptum, & ex Deo esse Fidei supplementum: quis enim non videat prius esse cogitare, quam credere? nullus quippè credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum.*

Opponunt primo verba Moysis Deuteronomii XXX. *Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi, non suprà te est, neque procul positum, &c.* ergò observatio praeceptorum Dei suprà vires humanae naturae, proindè à solo arbitrio, non à Dei gratia pendet.

Respondet Abulensis: Moysem non ibi loqui de facilitate observandae legis, sed de facilitate ejus cognoscendae; quia enim poterant Judaei ante traditam legem obtendere ignorantiam, nisi ea fecissent, quae Deus fieri volebat; hinc Moyses postquam totam legem iis exposuit; admonet, ut eam impleant, neque ullam ignorationis causam praetexant, aitque: *Mandatum hoc non supra te est*; hoc est, non supra caput tuum.

Se-

Secundo opponunt locum Apostoli ad Romanos II. *Gentes, quae legem non habent, naturalitèr ea, quae legis sunt faciunt*; ergò Gentiles naturalitèr observarunt mandata Decalogi. Neque dici potest, quod loquatur de Gentilibus conversis ad Fidem: nam alio sensu eum locum exposuerunt Chrysostomus, & Theophilactus ibidem, & Hieronymus in Caput XXIX. Ezechielis; intelligentes, scilicet, de idololatris. Quo sensu fortasse Justinus Martyr Apolog. II. ait: *Qui cum ratione vixerunt Christiani sunt, etiam si Athei habiti sunt, velut apud Graecos Socrates, & Heraclitus, eorumque similes.*

Respondeo: ex citato Apostoli loco probari tantùm posse, Gentilem, sine gratia, observare praeceptum aliquod opus bonum morale, non autem servare omnia Decalogi mandata; si enim idololatra supponitur, jam peccat contra primum Decalogi praeceptum. Et licèt Chrysostomus in Commentario ibidem scripserit, Gentiles implevisse omnia, quae legis sunt; intelligi tamen potest, vel quod omnia adimpleverint, sed non omnes omnia, ità ut alius unum, alius alterum observarit mandatum; vel quod omnia impleverint pertinentia ad unam aliquam legem, non autem omnes leges, maximè diuturno tempore.

Opponunt tertio. Homo lapsus, sola ratione cognoscit Deum, saltèm, ut autorem naturae, eumque esse summum bonum: sed quod potest intellectus ex solis viribus naturae respectu veri, potest sola vi naturali voluntas respectu boni; ergò potest naturaliter, & sine gra-

tia

tia elicere actum amoris Dei, saltem ut autoris naturae.

Respondet S. Thomas: hominem per peccatum magis esse corruptum, quantùm ad appetitum boni, quam quoad cognitionem veri: nec mirum, quum ad peccatum Adami, magis contulerit voluntas, quam intellectus, in quo nullus erat error. Hinc potest homo naturalitèr amare creaturam super omnia; at non Deum, tum quia per peccatum proclivior est in deterius, & pondere suo fertur in bona corporalia; tùm propter difficultatem, quia amor Dei super omnia includit propositum servandi omnia mandata, & odium omnium vitiorum, quae homini lapso, difficillimum est adimplere; potest igitur Deum amare, sed non sicut oportet, quibus verbis utuntur S. Augustinus passim, Concilium Arausicanum II. Can. 6. & 25., Tridentinum Sessione IV. Canon. 3. hoc est, *non ultimo propter se, sed propter bona temporalia, vel mala.*

PROPOSITIO TERTIA.

Datur Gratia sufficiens, ea tamen non omnibus aequè datur.

GRatia sufficiens aliter intelligitur à Thomistis, alitèr à Molinistis: Primi intelligunt Auxilium, quod tribuit *posse*; ità tamen ut ad *actu* operandum requiratur ex parte Dei gratia efficax, quae tribuit agere. Secundi intel-

intelligunt auxilium, praeter quod ex parte Dei nihil aliud requiratur, ut homo actu operetur. Nos factiosam hanc disputationem, & qua ruptae clamore columnae, integram ipsis abrenuntiamus, neque enim ad summam Fidei pertinet, neque Ecclesia quidquam in ea re definivit, etiam post institutam à Clemente VIII. Congregationem de Auxiliis.

Occasione tamen propositionis cujusdam ab Alexandro VIII. damnatae septimo Decembris Anno 1690., quae sic habet: *Gratia sufficiens statui nostro, non tam utilis, quam perniciosa est; sic ut meritò possimus petere, à Gratia sufficienti libera nos Domine. Nam si cum gratia sufficiente etiam peccatur, & gravius peccat, qui eam habet, quam qui ea destituitur, noxia esse videtur:* placuit positam assertionem sic demonstrare.

Probatur prima pars. Datur gratia, quae dat posse, & non agere; ergo datur gratia sufficiens. Probatur antecedens: homo non nunquam resistit gratiae Dei, ergò aliqua gratia dat posse, & non agere. Primum patet ex verbis Stephani ad Judaeos Actorum VII. *Dura cervice, & incircumcisis cordibus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri, ità & vos*. Proverbiorum VIII. inquit Dominus: *Vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non erat qui aspiceret*. Et Paulus II. ad Corinthios VI. *Exhortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei accipiatis*. Unde Innocentius X. hanc propositionem damnavit: *Interiori gratiae in statu naturae lapsae, nunquam resistitur*.

Probatur secunda pars. Multis infidelibus non datur posse, in Christum immediatè credere; ergò non omnibus aeque datur gratia sufficiens. Probatur antecedens: Fides est ex auditu, at multi neque olim patuerunt, neque possunt modo verbum de Christo audire, ut sunt barbarae quaedam, & ignotae nationes, ad quas vox Evangelii non penetravit; ergo non datur posse immediatè credere. Hinc Pius V. propositionem hanc Michaëlis Baii damnavit num. 68. *Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.* Igitur non est peccatum, quia ignorantia invincibilis Fidei, quoad Mysterium Trinitatis, v. gr., excusat ab incredulitate; ergo non omnes immediatè credere possunt. Eâdem ratione probatur, non omnibus parvulis immediatè dari gratiam sufficientem, ut sunt qui moriuntur antequam nascantur, vel decedunt apud Infideles, antequam veniant ad usum rationis.

Opponės primò. I. ad Timotheum II. dicitur, *quod Deus vult omnes homines salvos fieri.*

Respondet S. Thomas prima parte quaest. 19. artic. 6.: ex Augustino intelligi de iis, qui salvantur, non quia nullus homo sit, quem salvum fieri non velit, sed quia nullus salvus fit, quem salvum fieri non velit. Quod rectè exponitur a Theologis hoc pacto, scilicet, Deum velle omnes salvos fieri voluntate illa, quam antecedentem vocant; licet non omnes salvi fiant, quia Deus non vult

vult voluntate illa beneplaciti, de qua scriptum est in Psal.113. *Omnia quaecumque voluit, fecit in Coelo, & in terra*: Cur autem Deus non faciat omnes velle; quis novit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? Sic dicitur, Christum mortuum esse pro omnibus; at non omnibus meritum passionis ejus communicatur, ut explicat Tridentinum Sessione VI. Cap. 3. Si inspicitur virtus Sanguinis Christi, hic effusus est pro omnibus; si fructus, non ad omnes, sed ad multos ejus utilitas pervenit, ut explicat Catechismus. Hinc Augustinus ipse in lib. de Spiritu & litera C. 33. inquirens, cur Deus non det omnibus velle credere, quum velit omnes homines salvos fieri; respondet, *Deum velle omnes homines salvos fieri, sic tamen, ut non adimat eis liberum arbitrium, quo vel bene, vel male utentes, justissime judicentur*; quae expositio magis Apostolicae sententiae congruere videtur, ut ostendit Bellarminus loco inferius citando.

Oppones II. In Decreto Alexandri VIII. improbata est haec propositio: Pagani, Judaei, Haeretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum; adeoque hinc rectè inferas, in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficienti.


Respondeo: propositionem esse intelligendam de Paganis, qui culpabilitèr sunt increduli, quia de Christi Fide aliquid audierunt; conjunguntur enim cum Judaeis, & Haereti-

cis, quibus Divina Veritas abundè se ipsam manifestavit.

Non negaverim tamen cum Bellarmino Lib. II. de Gratia & Libero Arbitrio Cap. 5. & 8., iis Infidelibus, quibus Evangelium non est praedicatum, licet non adsit auxilium, quo possint immediate credere; tamen non simpliciter deesse auxilium, quo possint mediate credere: Possunt enim cognoscere per Creaturas, Deum esse: ac proinde excitari à Deo per gratiam praevenientem ad credendum de Deo, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit. Ita sentit ad rem D. Th. in quaest. 14. de verit. art. 11. ad 1. afferens exemplum Cornelii, qui ex fide unius Dei orabat, & eleemosinas faciebat, & eo modo impetravit, ut per Angelicam admonitionem, & Apostolicam praedicationem, Christi fidem audiret, & ipsum etiam baptisma susciperet.

Quod de infidelibus dictum est, idem opinatur Bellarminus de infantibus, vel ab infantia mente captis: siquidem etiam istis mediate auxilium donari censet, quoniam parentes eorum non solum sibi ipsi prospicere, sed etiam filiis suis, praesertim rationis usu carentibus, baptismum procurare possunt, si volunt. Haec Bellarminus, cujus sententiam exposuisse non poenitebit; quum eaque probabilis sit, & pia.

L I-



LIBER SEXTUS

De Praedestinatione.



Raedestinatio, secundùm verbi significationem, est antevertens cognitio cum proposito faciendi aliquid conjuncta. Sic Cornelius Nepos optimus Latinorum autor loquitur in Eumene: *Macedoniam praeoccupare praedestinaverat*. Non igitur est actus merus intellectus Divini, sed includit etiam propositum voluntatis: & ita intelligitur S. Augustinus, dum Lib. de Dono Perseverantiae Cap. XV. ait. *Praedestinationem esse praescientiam eorum, quae Deus ipse facere disposuit*. Nomine enim praescientiae, non designat nudam rerum contemplationem, sed insuper electionem, seù actionem voluntatis. Hinc Apostolus ad Romanos VIII. distinguit inter praescientiam, & praedestinationem, dum ait: *Quos praescivit, & praedestinavit:* proximè autem dixerat, *omnia cooperari in bonum, qui secundum propositum vocati sunt Sancti*. An autem sub nomine praescientiae Augustinus intellexerit scientiam in-

Deo, quae dicitur *simplicis intelligentiae*, an scientiam *visionis*, an vero scientiam *mediam*, illi Theologorum nationi quaerendum relinquimus, quae ut in simili, ait Phaedrus, *occupata in otio, gratis anhelans multa agendo, nihil agit*. Nihil enim haec ad Christianam doctrinam pertinent, quam tantùm exponere, & vindicare instituimus.

Apud Sanctos Patres, Praedestinationis nomen sumi solet in utramque partem, ut scilicet tam electionem bonorum denotet, quam reprobationem malorum. Ita Sanctus Augustinus Libro de Perfectione justitiae contra Coelestinum explicans illud Psalmi 14. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum: sed in eo genere hominum*, inquit, *quod praedestinatum est ad interitum*. Et Tractatu XLVIII. in Johannem ait, ideò dixisse Christum: *Non estis ex ovibus meis*, quia videbat eos ad sempiternum interitum praedestinatos. Idem in Enchiridio ad Laurentium Cap. C. scribit: *Benè utens & malis, tanquam summè bonus ad eorum damnationem, quos justè praedestinavit ad poenam & ad eorum salutem, quos benignè praedestinavit ad gratiam*: eodem modo loquuntur S. Prosper, Honorius Augustodunensis, & Concilium Valentinum in Gallia celebratum anno 853. Nota tamen, Patres semper ita locutos, ut dicerent, homines, vel praedestinari ad vitam quod est *gratiae*, vel ad poenam, quod est *justitiae*, nunquam tamen praedestinari ad culpam ullus dixit, nisi Calvinus, cujus os impurum, non erubuit Deum facere autorem peccati.

Ple-

Plerumque verò, Praedestinatio in bonam partem à Patribus accipitur, pro electione Sanctorum, ad differentiam reprobationis impiorum. Et ità sumpta definitur ab Augustino de Dono Perseverantiae Cap. XIV. num. 35. *Est praescientia, & praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur*. Haec autem definitio pertinet ad Praedestinationem hominum, neque Angelis electis convenire potest, quia quum nunquam fuerint sub captivitate peccati; dici nequit, quod aliquando liberati fuerint. Quum ergo dicit *liberantur*, supponit praevisionem culpae originalis: nequit enim homo concipi, ut miser, nisi fuerit alicujus peccati reus, quippe, *sub Deo justo nemo miser est, nisi mereatur*; quamobrem Augustinus Praedestinationem saepè vocat segregationem à massa perditionis: Reprobationem verò derelictionem in massa perditionis, ut Lib. de Correpť., & Gratia, & alibi.

Per illud autem definitionis verbum, *Praeparatio*, distinguitur Praedestinatio à gratia, quam in tempore Deus tribuit Electis: Praedestinatio enim, est praeparatio gratiae; gratia vero, est ipsa donatio; adeoque effectus Praedestinationis, ut idem explicat Augustinus. Tandem per illa verba, *quibus certissimè liberantur quicunque liberantur*; significatur duplex liberationis genus, inchoatae scilicet, quae in hac vita contingit per Fidem, Spem, Caritatem, & Perseverantiam; ac perfectae, quae fit per comparationem aeternae felicitatis: nullum enim beneficium confertur Electis in tempore

quod non sit aeternae Praedestinationis effectus. Hinc in Oratione Dominica docuit nos Christus, ut à Patre, qui in Coelis est, utramque liberationem expectamus, dum dicimus, *Dimitte nobis debita nostra: & ne nos inducas in tentationem*; hoc est, interprete Augustino Lib. de Peccatorum Meritis Cap. IV. *Ignosce nobis ea, in quibus sumus abstracti à concupiscentia: adjuva nos, ne abstrahamur à concupiscentia: aufer à nobis concupiscentiam, per aeternae beatitatis largitionem.*

Primus in hac materia error fuit Valentini, Basilidis, & Manichaeorum, qui statuerunt duplex esse hominum genus, naturalitèr bonorum, & naturalitèr malorum; ità ut, qui bono sint ingenio, fideles futuri sint, & salvandi: qui verò malo infideles, & perituri. Hujus erroris meminit inter alios Origenes Lib. III. Periarchon Cap. primo, ubi ait: *ex ea sententia, neque animam, quae mala facta est, bonam fieri posse: neque eam, quae bona facta est, malam: ideoque, non esse in nostra potestate, ut salvemur, sed naturas tales esse animarum, ut in omni genere, vel salvae sint, vel pereant*. Eadem memorat Clemens Alexandrinus Lib. V. Stromateon.

Sed hac haeresi, nihil potest insanius excogitari, si Scripturam inspiciamur: nullius enim creaturae mala esse potest natura, quippè hujus malitia in ipsum Deum refunderetur autorem. Quod autem omnia Dei opera nedum bona sint, sed & valdè bona, certissimè pronunciat Moyses, Genesis I. Omnis igitur hominis

natu-

natura bona est, ipse verò malum se facit per abusum libertatis, quâ deindè rectè utendo emendari potest; & è malo, bonus evadere. Sic Ninivitae conversi sunt de via sua mala: sic David ex iniquo, factus est justus per poenitentiam: sic Maria Magdalena: sic Paulus, qui primùm supra modum persequebatur Ecclesiam, deindè segregatus est in Evangelium Dei, & Vas electionis. Sed haec longum esset, & inutile repetere ad prodigium hoc antiquati furoris comprimendum.

Secundus error tribuitur Praedestinatis, seù Praedestinatianis, ut alii vocant. Sed quod maximè mirum est, videmus apud insignes nostrae, ac superioris aetatis Theologos, summis viribus certatum, fuerit ne unquam inter Christianos haec Praedestinatianorum haeresis, an verò figmentum sit merum, ab Augustini calumniatoribus excogitatum. Sanè Petavius Lib. I. de Praedestinatione Cap. 2., & prolixius Lib. XIII. de Incarnat. Cap. 6. pluribus firmare contendit, verè hanc haeresim extitisse. Contrà verò Cardinalis Norisius Lib. II. historiae Pelagianae Cap. 15., Piccinardus, Cabassutius, Juveninus, larvam hanc Semipelagianorum studiis debitam, magno vi detrahere satagunt. Nos, ne in re tantopere agitata nihil attigisse videamur, quaedam ex iis carptim lecta proferemus.

Primus Praedestinatianorum, meminit Gennadius Massiliensis in Cathalogo haereseon, ubi iis, hos errores affingit. Quod Deus non creavit homines, ut omnes salventur, sed ut eorum multitudine ornetur Mundus. Quod licèt

cèt in genere dicat. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis*; non tamen omnes ea voluntate vocat, ut sequantur vocantem. Quod iis, qui bene agunt, si non sunt Praedestinati, subtrahit Deus vires, ne perdurent in bono. Quod aliquos, etiam invitos, post multa mala opera attrahit ad salutem, alios compellit in malum, quo pereant in aeternum.

Secundo Hincmarus Rhemensis in Epist. ad Nicolaum I. Romanum Pontificem narrat, Gotescalchum quemdam Monachum Orbacensem, fuisse à se, aliisque Episcopis de Praedestinatiana haeresi damnatum, & perpetuae custodiae addictum. Errores autem illius recenset; quod Deus quosdam praedestinavit ad vitam, quosdam ad mortem; quod non vult omnes salvos fieri, sed tantùm eos, qui salvantur: quod Christus non est mortuus pro omnibus, sed solùm pro Electis.

Tertio Sigebertus Gemblacensis, in Chronico ad annum 414. Praedestinatianis hunc errorem imponit; quod nec piis bona opera prosunt, si Praedestinati non sunt; nec impiis flagitia nocent, si sint praedestinati: quae assertio, inquit, & bonos à bonis avocabat, & malos ad mala provocabat. Fertur etiam Anonymus Scriptor sub nomine Praedestinati, quem in lucem edidit Pater Syrmondus, ubi iidem errores huic sectae adscribuntur. Citantur quoque ex Libris Fausti Rejensis Episcopi, Concilia duo, Arelatense, & Lugdunense, in quibus damnata dicitur Praedestinatianorum sententia.

Adversus ista excipiunt Theologi, qui

Prae-

Praedestinatianam fabulam adversantur. Primò, iniquum esse, eos in hanc causam advocare testes, qui gravissimâ Pelagianismi suspicione premuntur. Constat enim Massilienses fuisse infestos admodum Augustini calumniatores; quum primis verò Gennadium, qui in Cathalogo de Viris Illustribus, non est veritus de Augustino talia effutire: Unde & multa loquendo accidit, quod dixit per Salomonem Spiritus Sanctus, *ex multiloquio non effugies peccatum*. Ex contrario, quum memorat libros Fausti Rejensis, quos damnarunt Gelasius, & Felix Summi Pontifices [fuit enim sine dubio Pelagianus, vel Semipelagianus, ut ipse fatetur Petavius] itâ loquitur: *Edidit opus egregium de Gratia Dei, qua salvamur, & libero humanae mentis arbitrio, in quo salvemur*.

Quod attinet ad Hincmarum, ajunt; injustè ab eo damnatum fuisse Gotescalchum, cujus propositiones praeterquam sunt mera S. Augustini doctrina in Lib. de Praedestinatione Sanctorum, & de Dono Perseverantiae. Concilium etiam Valentinum in Gallia celebratum, & Rhemigius Lugdunensis, improbarunt quatuor capitula edita ab Hincmaro contrà Gotescalchum; imò Concilium expressè probavit duplicem praedestinationem Can. III. ubi ait: *Fidenter fatemur praedestinationem Electorum ad vitam, & praedestinationem impiorum ad mortem*. Uno enim sensu hoc intellexerunt & Augustinus, & Gotescalchus, & Valentina Synodus de Praedestinatione ad poenam, non ad culpam, quae doctrina est omninò Catholica.

De

De Sigeberto autem, nulla habetur ratio in hac historia; quum enim Praedestiniana haeresis supponatur extitisse circa tempora S. Augustini, Prosperi, & Hilarii, hoc est, circà annum 414., & Sigebertus, qui fuit Benedictinus de Monasterio Gemblacensi, scripsit circà annum 1112.; debuit igitur ex aliorum scriptis fabellam istam recoquere; secutus est Gennadium, de quo jam dictum est.

Superest libellus à Patre Syrmondo editus sub nomine *Praedestinati*, anno 1643., quem ex veteri Bibliotheca Sanctae Mariae Rhemensis, eruisse testatur. Sed huic jam omnem derogarunt fidem: quamquam enim ejus autor ignoratur, constat tamen, qua fuerit imbutus doctrina; undique enim Pelagianus arguitur, ut quum docet, concupiscentiam antè peccatum fuisse in primis Parentibus, & quod Praedestinatiani affirment, eam ortam esse ex praevaricatione Adami; utitur praetereà illis ipsis argumentis, quae Pelagiani Augustino objecerunt. Suspicatur autem Petavius, autorem hujus libri esse Arnobium juniorem, quem & ipse fatetur, Pelagianum fuisse, ut latè ostendit Noris loco citato.

Si quid igitur probabili conjectura statui potest, res sic habet: Quum Pelagiani sive solidi, sive dimidiati intelligerent, doctrinam Augustini de Praedestinatione, non posse absque offensione, atque odio Catholicorum, impugnari; quippè quae à tot Romanis Pontificibus approbata fuerat Coelestino I. Epist. ad Gallos, Hormisda, Leone Magno, Gelasio, & Concilio Arausica-

no

no II.: è re ſua putarunt eandem doctrinam, detracto Auguſtini nomine, & impoſita Praedeſtianorum perſonâ, confidentius laceſſere. Conſtat enim, dogmata eadem eſſe cum Auguſtinianis, equivocationibus tantùm, quae ſunt cavillantium haereticorum artes, diſtracta. Qui verò fieri potuit, haereſim de Praedeſtinatione, cui materiae Auguſtinus prae omnibus inſudavit, ſuâ aetate gliſcentem, neque ab ipſo, neque à Proſpero, neque ab Hilario commemorari? quot verò de ea verba faciunt, tot Pelagiani. Nimirum hujus gentis hae fuerunt artes, plura mentiri, ac ſupponere, ut in ſpecie de Fauſto Rejenſi, ait Iſidorus de Viris Illuſtribus Cap. XXVII. *profundae calliditatis hominem & verſipellem vulpeculam fuiſſe*; finxit enim, inter alia, duas Synodos, Arelatenſem, & Lugdunenſem, Praedeſtinatianos damnaſſe, quarum tamen, neque ullus unquam meminit, neque Acta uſquam extant; undè merito in libros Fauſti inſurrexerunt Avitus Viennenſis, Caeſarius Arelatenſis, & Petrus Diaconos Lib. ultimo de Incarnat., & Gratia Chriſti, anathema dicit libris, quos Fauſtus ſcripſit contrà Praedeſtinationis ſententiam. Sed de hac re ſatis.

Itaque poſtquam Auguſtini doctrina, in materia Praedeſtinationis, fuit à Sede Apoſtolica non ſemel, ſed iterum, ac tertiò contrà reliquias Pelagianorum approbata, praeſertim verò ab Hormiſda Papa in Epiſt. ad Poſſeſſorem Epiſcopum; non erit à propoſito noſtro alienum, hoc loco Auguſtini ſententiam de Praedeſtinatione propugnare, licèt non tantum haereti-

reticos, sed quosdam etiam Catholicos habeat adversarios. Quam in rem animum addit Cardinalis Bellarminus, qui Libr. II. de Gratia, & libero arbitrio Cap. 11. ait, *quod jam haec sententia, non quorundam Doctorum opinio, sed Fides Ecclesiae Catholicae dici debet.*

PROPOSITIO PRIMA.

Praedestinatio ad Gloriam, non est ex praevisis meritis Creaturae, sed omninò gratuita.

HAbet haec assertio, multi generis hostes. Pelagiani sentiebant, Praedestinationem non esse ex mera gratia Dei, sed ex praevisione bonorum operum, quae sola libertate arbitrii ab homine fiunt. Quum autem urgerent Catholici argumentum de Parvulo, qui statim post baptismum decedit, nullo bono opere facto, & vitam aeternam obtinet; Semipelagiani, ut se ab his laqueis extricarent, ajebant, parvulum esse praedestinatum ex meritis bonorum operum, quae Deus praevidit eum facturum fuisse, si ad aetatem adultam pervenisset.

Sed hoc effugium praeclusit Augustinus: quia opera, quae facienda essent, sed non facta, non sunt objectum vel Misericordiae, vel Justitiae Dei, quod patet tùm ex illo II. ad Corinthios V. *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sivè bonum, sivè malum;*

non

non dicit, quae gesturus esset, sed quae gessit, alioqui frustrà diceretur Sapientiae IV. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*; neque enim beneficium Dei esset morte intercipi, si quis ex futura malitia esset condemnandus.

Praeterea si eorum, quae futura sunt, rationem habeat Deus, inutilis foret praedicatio Evangelii: jam enim praescivit Deus, qui ex Paganis, essent Fidem amplexuri, quive recusaturi, si praedicantem audirent; ideòque jure essent vel electi, vel reprobati. Hoc autem impium est dicere, Tyrii, & Sidonii perierunt, credidissent tamen si Christi miracula vidissent, ut ait Dominus, Lucae X *Vae tibi Corozain. Vae tibi Bethsaida; quia si in Tyro, & Sidone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere sedentes, poeniterent.* Denique illa sententia destruit necessitatem Baptismi; destruit doctrinam de Peccato Originali, & alia involvit absurda, quae longum esset persequi, & videri possunt apud Augustinum, qui strenuè illa exagitavit.

Altera adversariorum Phalanx, constat ex Molinistis. Quamquam enim olim Sanctorum Patrum una fuerit vox, Praedestinationem esse merum opus Misericordiae Dei, ideòque esse omninò gratuitam; ita Augustinus, Gregorius, Prosper, Fulgentius, Sedulius, Anselmus, Beda, Bernardus; tum verò Theologorum praecipui, Thomas, Scotus, Bellarminus, & alii quotquot à debellato Pelagianismo floruerunt. Novissimè tamen extitit Ludovicus Molina novi Dogmatis fabricator, cui recentiores Societatis Theogi,

gi, velut agimine facto, nomina dederunt. In hoc autem cum Semipelagianis conveniunt, quod docent, Praedestinationem ad vitam beatam, non esse gratuitam; in eo recedunt, quod illi sentiunt, esse ex meritis, quae per naturae vires comparantur: isti defendunt, esse ex meritis, quae parantur per cooperationem hominis cum gratia Dei versatili. Adversus utrumque gregem, nostra procedit disputatio.

Probatur primò ex Scripturis. Lucae XII. Redemptor ait: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum*; vox autem illa, *complacuit*, ostendit quandam animi propensionem, benevolentiam, & gratuitam affectionem, quod ii latius intelligunt, qui Graecum textum rimantur. Frustrà autem sunt, qui hunc locum exponunt de Praedestinatione ad gratiam, non de praedestinatione ad Gloriam; nam *dare Regnum*, est aeternam largiri beatitudinem, juxtà phrasim sacris Libris usitatam.

Praeterèa Johannis XV., ait Dominus: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Manet autem fructus in aeterna gloria; undè sequitur, loqui eum de Praedestinatione ad vitam aeternam. Si autem hoc esset ex cooperatione hominis, non verum esset, quod Deus hominem eligit, sed homo eligeret Deum; est igitur Praedestinatio opus gratuitae Dei benevolentiae.

Idem confirmat Apostoli locus ad Ephesios I. versu 4. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi*

di constitutionem, ut essemus Sancti, & immaculati in conspectu ejus. Et infrà: *Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum, secundum propositum voluntatis suae.* Ubi vides, non Praedestinationem referri ad opera, velut ad causam: sed ex opposito, ipsa opera referuntur ad Praedestinationem, tanquam ad radicem. Simile est illud ejusdem Capitis: *In Christo, & nos vocati sumus, Praedestinati secundum propositum ejus.*

Respondent: Paulum loqui de Praedestinatione ad Fidem, non ad gloriam aeternam. Quum enim verba sua dixerit ad totam Ecclesiam Ephesiorum, in qua omnes erant Fideles, sed non omnes Electi; intelligendus est de vocatione ad fidem, non ad beatitudinem. Sed contrà, ex Augustino Epist. XCIX., quia licet Apostolus alloquatur omnes Ephesios; re tamen vera intelligit solos Electos. Sed hic est Sacrorum Librorum stylus, ut commendando omnes, supponat bonos; improbando omnes, supponat malos. Sic Corinthii, in primis Epistolae suae partibus, ità laudantur à Paulo, ac si omnes probi essent: in aliis ità coarguuntur, ac si omnes essent rei. De cetero aequitas postulat, ut de proximo in meliorem partem judicemus, undè omnes, qui piè vivunt, quasi praedestinatos alloqui debemus: *sed tunc verè sunt*, inquit Augustinus de Correptione, & Gratia Cap. IX. *quod appellantur si manserit in eo, propter quod sic appellantur.*

Non omittam hic aliud Augustini argumentum, quidquid enim in hanc rem hactenus di-

ctum est, à feracissimo Augustini ingenio, prius dictum puta. Sic autem argumentatur Epist. V. ad Xistum. Si Apostolus in ea sententia fuisset, ut Praedestinationem ex praevisis meritis esse existimaret; frustrà sibi objiceret, Deum videri acceptorem personarum; frustrà diceret, quod cujus vult miseretur, & quem vult indurat; & frustrà, immò ineptè recurreret ad inscrutabilitatem Mysterii Praedestinationis: *O altitudo divitiarum Sapientiae, & Scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viae ejus. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis Consiliarius ejus fuit?* quorsum hic apparatus? quid opus tantis, in re tam facili, quam nemo idiota non intelligit? Uno verbo se expedient Pelagii reliquiae, quia Deus Electorum bona praevidit opera, reproborum mala.

Nunc alium proferam Apostoli locum insignem pro hac re, ex Cap. IX. ad Romanos; ubi affert exemplum de Jacob, & Esau, ait autem: Quum non dum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major serviet minori, sicut scriptum est: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* Dilectio Jacob est figura Praedestinationis: at quid potuit clarius dici? non ex operibus, sed ex vocante: unde concludit idem Apostolus. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. Praedestinatio itaque est opus misericordiae: ait enim inferius, Deum homines praedestinasse, ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae prae-

para-

paravit in gloriam. Atqui si esset ex meritis praevisis, non esset misericordiae, sed justitiae; nam reddere bona bonis, justitiae est distributivae; ergò doctrina de praevisis meritis, contradicit apertae doctrinae Pauli.

Respondet Petavius: non rectè hunc locum Apostoli accipi de Praedestinatione ad aeternam beatitudinem, quum alia prorsus sit Apostoli mens. Nomine enim Jacob, & Esau non intelligit eorum personas, sed duplicem populum, Israeliticum, & Idumaeum: hinc alludens ad utriusque fortunam dixit, *quod major serviet minori*: respexit enim ad historiam Genesis XXV. ubi quum gemelli in utero Rebeccae colliderentur; ità ut ipsam conceptionis suae jam taederet, ait ad eam Dominus: *Duae gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, & major serviet minori*. Illa vero verba: *Jacob dilexi, Esau odio habui*, non sunt referenda ad praedestinationem in vitam aeternam, sed ad dilectionem unius prae alio quoad bona temporalia, & commoda praesentis vitae. Verba enim illa, descripsit Apostolus ex Malachia Propheta, qui Cap. I. sic habet: *Nonnè frater erat Esau Jacob, dicit Dominus; & dilexi Jacob, Esau autem odio habui? & posui montes ejus in solitudinem, & hereditatem ejus in dracones deserti*.

Sed suavis est haec responsio. Licèt enim gratis concedamus, sensum literalem, tam in loco Genesis, quam in Malachia, non exprimere Praedestinationem ad gloriam beatorum; tamen negari non potest, in sensu mystico à Pau-

lo acceptos fuisse eos textus, ut pro Jacob distinguantur Electi, pro Esau filii perditionis. Apostolus enim non dubie loquitur de hereditate Dei, ad quam vocati sunt Sancti, non de bonis hujus mundi. Neque dicas: ex sensu mystico non posse Fidei dogma demonstrari, quod vulgò dicunt, Theologia Symbolica non est argumentativa; id enim dici ad summum potest, quando sensus mysticus eruitur à privato Doctore, etiam ab aliquo ex Sanctis Patribus. Sed absit à Christiano homine tanta blasphemia; quum sensus mysticus assumitur in argumentum ab ipso Spiritu Dei per Prophetam, vel Apostolum; qua de re in Novo Testamento exempla sunt innumera.

Secundo probatur nostra positio, Traditione. Sancti Patres, qui ante Augustinum floruerunt, vel nullo prorsus modo, vel parcè admodùm, de gratuita Praedestinatione locuti sunt: cujus, eam rationem Augustinus affert Lib. de Praedestinatione Sanctorum Cap. XIV.: *quia non dum exorta esset virulenta Pelagianorum haeresis, nulla fuit necessitas in hac tàm difficili quaestione versari.* Quemadmodum, ut idem inquit Augustinus in Psalmum LIV., *nunquam perfectè de Trinitate disputatum est, antequam oblatrarent Ariani; nunquam perfectè de Poenitentia tractatum est, antequam obsisterent Novatiani.* Hinc factum est, ut ante Nicaenam Synodum, qui vixere Patres, non omnes dignè, & inculpatè de Sancta Triade sunt locuti, ut observat Petavius Lib. I. de Trinitate Cap. 3., & sequentibus.

Nihilominus, qui Augustinum praecesserunt (quantum conjicere licet) in Praedestinationis gratuitae sententiam verius inclinasse videntur; modo excipias Origenem, qui varius fuit, secumque pugnavit, ut meritò Petavius Lib. I. de Praedestinatione Cap. 3. eum appellet Scriptorem neque Catholicum, & in plerisque futilem, minimèque constantem. Docet enim Lib. III. Periarchon Cap. I. Jacob, & Esau diversam habuisse sortem electionis, & perditionis, propter antecedentia merita, & demerita, quae scilicet, eorum animae, antequam laberentur in corpora, peperissent. Idem verò in Cap. VIII. ad Romanos ait: *Praedestinationem esse gratia, non meritis*. De cetero alii Patres ab Augustino plerumque stant; unde postulatus ille a Massiliensibus de Patrum sententia, respondit: posse quidem se ab iis recensendis abstinere, sine ullo Religionis detrimento. Sed ut adversariis ora obstrueret, testes in eam causam laudat Cyprianum, Ambrosium, & Gregorium Nazianzenum.

At verò mihi omnium putidissimi videntur, qui, non dicam judicio, sed rubore excusso, non veretur Augustinum pro contraria sententia citare, ejusque autoritates hinc inde extorquere; dum enim formidant, ne justa aliqua censura notentur, quippè quum libros Augustini, maximè verò quos ad Hilarium, & Prosperum scripsit, approbari ab Hormisda Papa, in Epistola ad Possessorem Episcopum, in quibus, ait: contineri, quid Romana, hoc est Catholica sequatur, & servet Ecclesia. Augustinum vel in-

vitum ad suas partes trahere conantur, opera planè irritâ, & lusoriâ. Sincerius porrò agit Petavius, Molinianae cohortis non gregarius miles; qui postquam vanum illorum laborem solidè coarguit Lib. I. de Praedestinatione Cap. 13., & sequentibus; deindè Cap. I. Libri II., apertè, se Augustini hostem profitetur; neque ejus autoritatem in hac re ullo praejudicio valere; quum haec quaestio jampridem in Scholis coeperit in utramque partem disputari, sicque maluit Augustini desertor esse, quam non bonus interpres.

De Patribus autem, qui aequales Augustino fuerunt, vel post, ut de Theologis, usque ad Molinam, jam dictum est supra. Bellarminus Lib. II. de Gratia, & Libero Arbitrio Cap. 11. 12., & 14., affert integra testimonia S. Basilii in Orat. de Humilitate: Chrysostomi Homilia XII. in I. ad Corinthios: Prosperi, Petri Diaconi, Fulgentii. Romanorumque Pontificum, Coelestini, Leonis, Gelasii; citat deinde Anselmum, Bernardum, Thomam, Bonaventuram, & alios. Itaque non sine ratione Augustinus, dicit, de Dono Perseverantiae Cap. XXIII. *Praedestinationis hujus fidem, quae contra novos haereticos, nova sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit*. Ergo Traditio Ecclesiae, est pro Praedestinatione gratuita.

Opponunt adversarii ex Scripturis: primò, quod aeterna gloria saepè appellatur in illis merces, bravium, corona justitiae &c. ergò datur propter merita bonorum operum. Quod etiam ostendere videtur sententia Christi in extre-

mo

mo judicio : *Venite, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi* ; *esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c.* Matthaei XXV. ; ubi vides, dari Regnum Coelorum propter opera Misericordiae.

Respondetur : vitam aeternam dici mercedem in ordine executionis, sed non in ordine intentionis. Praedestinavit Deus homines ab aeterno ad gloriam, absque ulla praevisione operum ; sed gloriam ipsam in tempore non dat, nisi propter bona opera jam facta ; glorificatio enim, est effectus justificationis ; justificatio est effectus vocationis ; vocatio verò Praedestinationis : quod totidem verbis expressit Apostolus ad Romanos VIII. 30. : *Quos praescivit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.*

Ad id, quod additur de judicio novissimo, respondetur ; quod verba illa, *Esurivi enim, & dedistis manducare*, non referuntur ut causa ad illud, *Paratum vobis Regnum* : sed ad illud, *Venite, & possidete* ; quia gloria in tempore, sivè in executione, ut dixi, datur propter opera ; at non propter opera ab aeterno praeparata est in electione Divina. Quemadmodum quum dicitur reprobis : *Discedite in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo* : *Esurivi enim, & non dedistis manducare*, &c. haec causalis, non refertur ad illa, *qui paratus est*, &c. Ignis enim aeternus, non est paratus Diabolo, quia homines cibum negant esurientibus ; sed referendum ad illud, *Discedite maledicti, &c.*

Secundo opponunt illud Apocalypsis Cap.

III. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*; ergò Dominus praedestinavit ad beatitudinem praevisis bonis operibus; alioqui per mala opera, corona amitti non posset.

Respondeo, hoc argumentum etiam contra adversarios pugnare. Nam si Deus praedestinaverat Angelum, seù Episcopum Ecclesiae Philadelphiensis, ad quem loquitur Johannes, quia praeviderat, eum perseveraturum in caritate Dei usque in finem, quomodo alius accepisset coronam illius; certè praescientia Dei fallax esse nequit, vel mutabilis. Hinc vides omnia argumenta, quae fiunt contrà Praedestinationem gratuitam, fieri posse contra praescientiam: imò praescire, & praedestinare saepe in Scripturis sunt synonima, ut in illo Apostoli: *Non repulit Deus plebem suam, quam praescivit*.

Optimè dicitur: Augustinus notat Lib. de Corrept. & Gratia Cap. XIII. Coronam gloriae praeparatam Electis ab aeterno, non posse ab illis amitti: at Deus variis utitur modis, nè illam amittant, inter quos est, ut serviant ei in timore, & sollicitudine; unde illud toties in Evangelio repetitum: *Vigilate, estote parati &c.* Quum igitur Electi, dum in hoc saeculo sunt, de sua Praedestinatione sint incerti; utilitèr terrentur his comminationibus, ut studeant in justitia perseverare, sine qua corona non obtinetur; & quum Deus ita praedestinaverit homines, ut per bona opera velit eos ad gloriam pervenire; signum praedestinationis erit, malum declinare, & benè agere.

Tertio

Tertio opponunt. Si Deus duobus parvulis inaequalia parasset, felicitatem uni, alteri supplicium, esset acceptor personarum; sed hoc est contrà Apostolum dicentem: *Quod non est acceptio personarum apud Deum*; ergò Praedestinatio non habet pro causa, solam Dei voluntatem.

Hoc argumentum fuit olim Augustino à Semipelagianis objectum, cui ipse respondet Lib. II. ad Bonifacium Cap. 7. quod ubi nullum est meritum, & commune delictum, nulla est personarum acceptio; ut si quis ex duobus debitoribus uni remittat debitum, ab altero exigat, cui vult donat, sed neminem fraudat, nec acceptio personarum dicenda est, quando iniquitas nulla est. Confirmat hoc S. Doctor parabola Christi, Matthaei XX., ubi operarii, qui ab hora XI. in vinea laborarunt, parem habuerunt mercedem cum illis, qui portarunt pondus *diei, & aestus*; & quum quidam ex istis conquereretur, respondit Dominus: *Amice, non facio tibi injuriam: nonnè ex denario convenisti mecum? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Unde conclusit Augustinus, quod vocato datur bonum gratuitum: non vocato redditur malum, quia omnes rei sunt, ex eo, quod *per unum hominem peccatum intravit in mundum*.

Hinc colligitur; argumenta omnia Molinistarum, posse facilè adversus ipsos retorqueri. Quum dicunt, Praedestinationem gratuitam inducere fatalem necessitatem, quia praedestinatus non potest damnari, haec difficultas, etiam ipsis incommodat: nam etiam praedestina-

tus ex praevisione meritorum, non potest damnari; ergò etiam ipsi fatum inducere videntur: imò ut dixi, potest idem opponi adversus solam praescientiam Dei. At quemadmodum, ipsi respondent, quod praedestinatus potest damnari in sensu *diviso*, sed non in sensu *composito*: quia non potest componi actualis damnatio, cum praedestinatione. Quid vetat, nos eadem uti responsione? quod praedestinatus, quia liberi est arbitrii, potest malè agere, & sic in sensu diviso, possibilis est ejus damnatio; sed nunquam futura in sensu composito, quia Praedestinatio importat Decretum Dei efficax de conferendo Electis dono perseverantiae, cum quo est incompossibilis ipsa damnatio actualis: itaque possunt damnari, sed id nunquam fiet.

Verùm, si non ea esset humanae mentis arrogantia, ut praeterquam oportet, sapere vellet, deberemus utrique modestè fateri, mysterium hoc esse inscrutabile, & supra captum nostrum, qui nos metipsos magna ex parte ignoramus, qui de corpore disputantes, quid dicamus, nescimus: erubescemus Divina Judicia, quae ignorabat Paulus, ignorare. Pari ratione retorquenda sunt illa argumenta, quod doctrina Praedestinationis gratuitae, extinguit utilitatem praedicationis, & zelum animarum, quod non potest populo praedicari sine offensione, quod avocat à studio salutis aeternae, & conjicit in desperationem: contraria verò sententia magnum praebet Christianis solatium. Haec, inquam omnia retorqueri possunt, ut jam ex dictis secum quisque potest meditari.

PRO-

PROPOSITIO SECUNDA.

Causa reprobationis, non est mera Dei voluntas, sed praevisa reproborum demerita.

EST contrà Calvinum in Caput I. Epistolae ad Romanos, ubi docet: Deum independentèr à praevisione cujusvis culpae, sivè originalis, sivè actualis, decrevisse, quosdam ad gehennam condemnare, ut suo exitio nomen ipsius glorificent; pro cujus Decreti exequtione imponit reprobis necessitatem ad peccandum; hoc est, non permissivè tantùm, & per conniventiam, sed positivè cogit, ut praevaricentur.

Probatur. Omnis sententia condemnatoria, quae culpam non supponit, injusta est; si ergò Deus homines destinasset ad perpetuos cruciatus, nullâ praevisâ culpâ, non posset ab injustitia excusari, quod impium est proferre. Nec prodest Calvino dicere, quod sententiam Deus non exequitur, nisi post commissa scelera; nam vel Decretum illud in se est justum, vel injustum; si primum, potest executioni dari, etiam sinè crimine: si secundum, non potuit à Deo justo ferri; quandoquidem injustus est judex, qui innocentem ad mortem condemnat, licèt Decretum illud non exequatur, nisi post patratum delictum. Simili modo argumentatur Augustinus contrà Manichaeos, qui dicebant, Cacodoemones fuisse à Deo addictos suppliciis sem-

pi-

piternis, licèt non peccaverint propria voluntate: ait enim Lib. II. de Genesi ad Literam Cap. 21. *Cuilibet occurrit, & verum est, atque manifestum, justitiae ipsi esse contrarium, ut nullo praecedente demerito, hoc ipsum in quoquam Deus damnet, quod ille creavit.*

Secundo probatur. Ex Calvini dogmate sequitur, Deum esse autorem peccati, imò ipsum solum peccare; nemo enim peccat in eo, quod vitare non potest: at haec blasphemia non tantum Christiani, sed etiam Philosophi aures offendit; Dei enim idea continet omnem perfectionem, adeòque infinitam bonitatem; quod si bonus est Deus, & potest malum facere, poterit etiam esse verax, & fallere, & sic potuit etiam nos decipere in Sacris Scripturis, undè ruimus in atheismum. Calvinus autem, qui inscripsit instructionem contrà libertinos, non video quomodo potuerit libertinos revincere, si Deus etiam peccati sit causa. Sed egregius ille nugator loquitur in parabolis; ait enim Lib. I. Institutionis Cap. 7. §. 5.: *unde, quaeso, foetor in cadavere, quod calore Solis putrefactum sit, radiis Solis factum omnes videut, nemo tamen illos foetere dicit: ita quum in homine sit materia mali, nullum inquinamentum contrahit Deus, si ad arbitrium suum utatur ejus ministerio* Sed utinam frigidus esset: ubi enim didicit infelix Dialecticus, argumentari à causis necessariis, ad causas liberas. Pudet in tam foetido ratiocinio immorari.

Aliud effugium tentat Zuinglius; ait enim, hominem in opere malo peccare, Deum non peccare

care, quia homini posita est Lex, non autem Deo: hinc homo, quia Legem transgreditur, est malus, non item Deus, qui est supra omnem Legem. Sed quam misere hic labitur, & sibi contradicit. Quid enim est aliud Lex, quam Dei voluntas? quum igitur Deus hominem cogit ad perjurium, haec erit Lex, ut homo pejeret; itaque secundum legem operans, nihil faciet mali; vel dicendum est, Deum habere duas voluntates contrarias, unam, qua velit, ut homo pejeret, alteram ne pejeret, & sic peccat, & non peccat, quod non est disputare, sed insanire. Quum igitur peccatum sit actio, Divina lege prohibita, & Deus sit causa actionis Divina lege prohibitae; quomodo dici potest, non esse Deum peccati autorem? hoc autem Ecclesia jampridem damnavit in Marcionistis, Manichaeis, & Priscillanistis. Qua in re puto, supervacuum Scripturae loca annotare, quae innumera sunt, & obvia, ut in Psalmo: *Non Deus volens iniquitatem, tu es*. Apud Oseam: *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum. Ecce qui tollit peccata mundi, &c.*

Opponunt Calviniani. Deus ab aeterno decrevit mala, ut fierent: ita enim Joseph, inquit, ad Fratres suos, qui eum vendiderunt: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Genesis XLV. Item Petrus Actorum II. de Christo ait: *Hunc, definito consilio, & praescientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes, interemistis*. Igitur, ut adimpleantur Decreta Dei, coacti fuerunt fratres vendere Joseph, Judaei occidere Christum.

Respon-

Respondeo : quod quum opus aliquod malum evadit in bonum finem; credendum est, Deum esse boni autorem, mali verò permissorem. Decrevit igitur Deus ab aeterno, Josephum in AEgypto magnos sibi honores comparaturum; praevidens autem, quod fratres eum vendituri essent, id tantum permittere decrevit. Pariter decrevit, Christum morte sua generis lapsi sarcire ruinas; at non decrevit, ut eum Judas proderet, Judaei calumniarentur, Pilatus condemnaret; sed hoc praescivit tantùm, & permittere statuit. Ità exponunt Chrysostomus Hom. LXIV. in Genesim, & S. Ambrosius Libro de Joseph Cap. XII.

Secundo opponunt. Proverbiorum XVI. dicitur: *omnia propter se ipsum operatus est Dominus : impium quoque in diem malum*, supple iturum; ergò Deus creat impios, ut in ipsis justitia ejus refulgeat.

Respondeo: Deum non creare impium, qui talis jam sit, sed qui talis futurus est, & ut ejus impietate, quam Deus non fecit, sed tantùm praescivit, utatur ad ostendendam justitiam suam; sic omnia à Deo fiunt propter se ipsum, hoc est propter gloriam suam, etiam reprobi, qui in interitum sunt ituri. At si violentèr cogeret hominem ad malefaciendum, eumque deindè condemnaret, hoc non esset manifestare justitiam, sed injustitiam. Quum autem dicitur, Deum alia vasa fecisse in honorem, alia in contumeliam; intelligitur, non quasi ex massa indifferente ità distribuerit, sed quod ex massa jam corrupta, ex labe primi hominis, aliqua selegerit, ut essent

vasa

vasa Misericordiae, alia in ea reliquit, ut sint vasa irae, ut explicat Augustinus Epist. CV., & sequente.

Tertio opponunt. Deus saepè dicitur in Scripturis *excaecare*, *& indurare cor hominis*, ut de incredulitate Pharaonis dicitur in Exodo, induratum fuisse à Domino cor ipsius. De Judaeis dicitur Johannis XII. quod non poterant credere: quia dixit Esaias, *excaecavit oculos eorum*, *& induravit cor ipsorum*. Apostolus quoque ad Romanos I., ait: Deum tradidisse Philosophos in reprobum sensum, ut facerent, quae non conveniunt; & Cap. IX. *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat*.

Respondent Sancti Patres Chrysostomus, Augustinus, Gregorius Magnus, Isidorus, aliique: quod excaecatio, & induratio cordis, non est respectu Dei quid positivum, sed negativum. *Non obdurat Deus*, inquit Augustinus citata Epistola CV. *impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam*. Quum enim Deus à creatura deseritur; justum est, ut eam deserat, & tradat corruptioni naturae, non adjuvat, non admonet, quod severissimum est judicium Dei. Unde ait Augustinus idem Lib. V. contrà Julianum Cap. 3. *Caecitas mentis, quam solus illuminator Deus removere potest, & est poena peccati, qua cor superbum dignà animadversione punitur: & est causa peccati, quum aliquid mali caeci cordis errore committitur*.

LI



LIBER SEPTIMUS

De Justificatione, & Operibus.

FErè omnium errorum, quos saeculum, exacto proximum, confertim germinavit semen, fuisse videtur prava sententia de Fide justificante, ut Bellarminus fatetur Lib. I. de Justificatione Cap. 4. Hanc Lutherus quum adhuc esset Monachus hausisse dicitur à quodam sene Ordinis sui, qui citabat Sanctum Bernardum in Sermone I. de Annunciatione, de quo inferius. Sed ut hac in re ordine procedatur; supponendum est, contrà Protestantes, Fidem non esse fiduciam Misericordiae Dei; haec enim dicitur Spes, non Fides, quae diversa est, ut ostendunt verba I. ad Corinthios XIII. *Manent Fides, Spes, Caritas, tria haec, &c.* & constat praeterea ex definitione Fidei: ad Hebraeos II. *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*: vel ut legit S. Augustinus, *substantia sperantium*: in Graeco enim utroque modo legi potest. Sed sensus idem est; nam quae sperantur, futura sunt, & subsistunt in

in intellectu per Fidem, & qui ſperat, Fide ſe ſubſtentat, ut ait Apoſtolus: *Juſtus ex fide vivit.* Idem probatur ex illo ejuſdem Pauli: *ſine Fide impoſſibile eſt placere Deo: nam accedentem ad Deum oportet credere, &c.* ergò Fides eſt credere, non fiduciam habere. Sed expreſſius ad Epheſios III. *In quo habemus fiduciam ejus.* Si fiducia in Deum habetur per Fidem, certè fiducia non eſt Fides, ſed Fidei effectus Hoc poſito; diſputandum eſt contrà Sectarios, qui licèt inter se diſſentiant circà modum, quo Fides juſtificat, eam tamen ſolam juſtificare, adverſus Catholicos conſentiunt.

PROPOSITIO PRIMA.

Ad Juſtificationem, ſola Fides non ſufficit.

PRobatur. Fides non poteſt eſſe ſine Caritate, ſed ex Caritate juſtificatio eſt, ut dicitur I. Johannis II. *Qui non diligit, manet in morte;* ergò Fides ſola non juſtificat. Major probatur ex Johannis XII. ibi: *Multi ex Principibus crediderunt in eum; ſed non confitebantur, quia dilexerunt magis gloriam hominum, quam gloriam Dei.* Tum ex illo Apoſtoli, I. ad Corinthios XIII. *Si habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam, Caritatem autem non habuero, nihil ſum.* Et S. Jacobus Cap. II. ait: *Quid proderit Fratres mei, ſi quis dicat, Fidem ſe habere; opera*

autem non habeat? nunquid poterit Fides salvare illum?

Respondet Calvinus, Jacobum non loqui de vera Fide; comparat enim Fidem sine operibus cum Fide, quam Daemones habent, quae vera non est. Secundo, dum ait, Fidem sine operibus esse mortuam; significat, eam non esse; quod enim est, mortuum non est; unde fit, ut impio non tantùm caritas desit, sed etiam Fides: nam quae remanet, est sola notitia historica Mysteriorum Dei, non autem Fides benevolentiae, quae justificat.

Replicamus, ex S.Augustino Lib. de Unico Baptismo Cap. X., ubi docet, quod Fides impiorum partim convenit, partim discrepat à Fide Daemonum. Convenit, quia utraque est vera, & recta Fides ex parte objecti, & utraquè inutilis. Discrepat; quia Fides Daemonum est extorta ab ipsa rerum evidentia; undè ait Jacobus, *quod credunt, & contremiscunt*; hoc est quasi coacti: in hominibus verò libera est; quum scilicèt pia affectio captivat intellectum in obsequium Christi. Ad alterum reponimus; quod quia Fides dicitur mortua, quando non operatur per dilectionem, & inter ipsam, & dilectionem nulla sit connexio necessaria; sequitur, quod operatio, & vita non sunt de essentia Fidei, quemadmodum vita est de essentia hominis, qui post mortem non est; sed dicitur Fides mortua etiam quando est, ut dicitur corpus mortuum, quod est, sed non vivit: aqua mortua, quae est, sed non movetur. Hinc Augustinus Lib. XV. de Trinitate Cap. 18. scribit: *Fides sine caritate potest esse, sed non pro-*

prodesse. Reliquos Sanctos Patres recitare omitto; tum quia, non est necesse, ubi Dogma in Scripturis est apertissimum; tum etiam, quia nimis in longum Oratio abiret; eaque de re consuli potest Bellarminus loco citato, & Cap. XVII.

Opponitur: primò textus Johannis VI. ubi Christus Fidem in Juda non agnoscit, dicens: *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt*: subjicit enim Johannes: *Ipse enim sciebat, qui essent credentes, & quis eum traditurus esset*. Ergò qui malè agit, Fidem amittit.

Respondeo; quod Judas jam in infidelitatem lapsus erat propter incredulitatem; quum enim dixisset Jesus, se esse panem vivum, & carnem suam dare ad manducandum; scandalizatus est Judas, undè ait Christus: *Nonnè vos duodecim elegi, & unus ex vobis Diabolus est*. Itaque Judas primùm corde à Domino recessit per incredulitatem, deindè proditionem machinatus est; quomodò enim proderet, quem Deum verum esse credebat?

Secundo: opponitur Apostolus I. ad Timotheum V. *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam, non habet, Fidem negavit, & est infideli deterior*; igitur in homine improbo, nulla est Fides.

Respondeo cum Chrysostomo: dici ab Apostolo Fidem negasse, quia non ità vivit, ut Fides vivendum docet, de quibus idem Apostolus loquitur Capite I. ad Titum, quum ait: *Confitentur, se nosse Deum, factis autem negant*. Dicitur autem *infideli deterior*; quia infideles humana tantum Fide, & pietatis officio suorum familia-

rium curam gerunt; fidelis igitur, qui familiam suam deserit, est deterior infideli, quoad fidem in homines, non quoad fidem in Deum, cui revelanti assentitur. Pari ratione intelligendus est Sanctus Gregorius Homilia XXIX. in Evangelia, dum inquit: *pravos homines, qui iniquè operantur, non habere veram Fidem, quam ore profitentur, & sic veram Fidem in exteriori non habent*. Ceterum idem S. Pontifex Homilia XXXVIII. expressè testatur: *multos in Ecclesiam intrare, quia Fidem habent, veste tamen nuptiali carere, quia caritatem non habent*.

Tertiò opponitur illud I. Johannis II. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non servat, hic mendax est*. Si ergò mentitur, falsum est, quod Fidem habeat.

Respondeo cum Venerabili Beda: Johannem ibi loqui de notitia familiaritatis, & amicitiae, non de mera cognitione; ut quum Dominus dicit scelestis: *Nescio vos*; nam aliàs potest quis Deum nosse, ejusque scientiam habere, & non solum ejus mandata non servare, sed ea etiam ignorare.

Quod autem Apostolus saepè repetit ex Habacuc Cap. II. *Justus ex fide vivit*; jam superius est à nobis expositum: quod justus se alit, ac tolerat desiderium Coelestis patriae per Fidem, quae praesentem quodammodò facit beatitudinem, quae in tempore futura speratur; eum per fidem res sperandae subsistant. At verò illud etiam verissimum est, justum vivere vitam spiritualem ex Fide, non utrumque, sed ex Fide, quae est in hominibus justis; hoc est non jacente, ac tor-

torpente sub horrida colluvie malorum operum, sed vigescente, & inflammata per ignem caritatis; Fides enim mortua, non potest alteri vitam tribuere.

Denique quum legimus in sacris paginis, *justificationem esse ex Fide, non ex operibus*: *Qui credit in Filium habet vitam aeternam*: *Fides tua te salvam fecit*, & similia; intelligenda sunt haec juxtà S. Augustinum; cui inhaeret Tridentinum Sessione VI. Cap. 8. quia fides, est initium gratuitae justificationis: undè dicebat ille, Sermone XXII. *Domus Dei credendo fundatur*; *sperando erigitur*; *diligendo perficitur*. Et Praefat. in Psalmum XXXI. *Laudo super aedificationem*; *sed video fundamentum Fidei*; *laudo fructum*, *sed in Fide agnosco radicem*. Plura vide apud Bellarminum loco citato Cap. XIII. & XVII.

PROPOSITIO SECUNDA

Justificatur homo per justitiam inhaerentem.

PLures sunt in hac re Sectariorum sententiae. Lutherus censuit, justitiam nostram esse ipsum Christum inhabitantem in nobis. Quod quum obscurius dictum esset, ita exposuit Osiander; Justificationem nostram esse illam ipsam justitiam, qua Deus essentialitèr est justus. Illyricus verò interpretatus est, esse ipsam Passionem Christi, cujus meritum nobis imputatur. Calvinus voluit, justificationem *justum pronunciare*:

ideòque causam formalem nostrae justificationis, esse solam remissionem peccatorum. Hos errores proscripsit Tridentina Synodus Sessione VI. Can. 10. & 11. *Si quis dixerit, homines justificari sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffunditur, atque illis inhaereat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantùm favorem Dei; anathema sit.*

Probatur; primo ex Capite V. ad Romanos ubi Paulus instituit antithesin inter Adamum, & Christum, ajens: *quod sicut per illius contumaciam facti sumus peccatores; ità per hujus obedientiam justificati sumus*. Sed per inobedientiam Adami facti sumus injusti, injustitia verè in nobis inhaerente, non per imperationem injustitiae illius; ergò justificatio, quam per Christum habemus est etiam in nobis inhaerens, non imputata.

Probatur secundò ex Capite III. ejusdem Epistolae, ibi: *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Jesu, quem proposuit propitiatorem per Fidem in sanguine ipsius*. Ex hoc textu, notat Bellarminus Lib. II. de Justificatione Cap. 3. ostendi omnes causas justificationis. Causa *efficiens* dum ait, *gratis*: justificamur enim ex benevolentia Dei, non ex meritis nostris. Causa *formalis*, dum dicit per gratiam ipsius, hoc est, per justitiam ab ipso datam, & infusam. Causa *meritoria*, dum dicit, per redemptionem, quae est in Christo Jesu; & Causa *dispositiva*, quae est Fides in sanguine propitiatoris.

Tertio

Tertio ex eodem Cap. V. ad Romanos: *Caritas Dei diffusa est in cordis nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*: quibus verbis utitur Tridentinum. Et licet Melancthon, Petrus Martyr, Calvinus, aliique contendant, Apostolum loqui de Caritate, qua Deus nos diligit, hoc est, de favore, & benevolentia, quae in ipso Deo est: tamen S. Augustinus, qui cum hac faece mortalium, non est comparandus, intelligit de caritate, quae est in nobis; ait enim Libro de Spiritu, & Litera Capite XXXII. *Caritas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua ipse nos diligit, sed qua nos facit dilectores suos.*

Quarto ex Capite VIII. ejusdem Epistolae: *Quos praescivit, & praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse Primogenitus in multis fratribus; & sicut portavimus imaginem terreni, ità portemus imaginem coelestis*. Si sumus imagines Christi, Christus non est justus per justitiam imputatam, sed per justitiam inhaerentem; ergò & nos si fratres, si imagines ejus sumus, etiam per inhaerentem justitiam justi esse debemus; quemadmodum inhaerentèr, non imputatè portavimus imaginem hominis terreni; hoc est Adami peccatoris.

Opponit Calvinus Psalmum XXXI. *Beati, quorum remissae sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*. Vel haec definitio justificationis est perfecta, & nulla hic mentio justitiae inhaerentis, sed tantum remissionis peccatorum: vel est dimidiata, & non oportebat dicere: *Beatum*.

tum, qui tantùm ex dimidio, est justificatus. Ad haec suggerit argutiolas suas Kemnitius. *Si non imputare peccatum*(ut ajunt Catholici)*esset delere peccatum, & infundere justitiam: imputare peccatum esset delere justitiam, & infundere iniquitatem, quod est absurdum; ergò sicut imputare peccatum est habere hominem pro peccatore; ità non imputare peccatum, est habere hominem pro justo.*

Ad primum. Postquam facti homines cogunt nos insanire; respondebimus stultis, secundùm stultitiam suam. Calvino per instantiam. Quùm ait Psalmista: *Beatus vir, qui timet Dominum; Beati qui scrutantur testimonia ejus, &c.* est ne absoluta definitio justitiae? sin ait; ubi est remissio peccatorum? si negat; cur vocat beatos? Sed ad seria. Illa, non est absoluta definitio justitiae secundum ea, quae exprimit, sed significatur tantùm illis verbis, remissionem esse donum Dei: at secundum ea, quae includit, est absoluta, quia remissio peccatorum, fit per infusionem justitiae, ut non recedunt tenebrae, nisi lumen succedat.

Ad secundum: videtur Kemnitius, artem ratiocinandi, nec summis labiis, degustasse. Non imputare peccatum, est infundere justitiam, & delere iniquitatem: at imputare peccatum, non est delere justitiam, & infundere iniquitatem; docet enim Dialectica, quod opposita contradictoriis, debent esse etiam contradictoria; si igitur imputare peccatum, & non imputare peccatum sunt contradicentia; ità inferendum erat, non imputat peccatum, ergò infundit justitiam: imputat peccatum, ergò non infundit justitiam;

non

non autem; ergò infundit iniquitatem; quia infundere justitiam, & infundere iniquitatem sunt contraria, non contradicentia. Sed remoto joco: Quum Deus non imputat peccata, ex consequenti, infunditur justitia, quia Deus non potest falli non imputando, quod esset imputandum. At, ut imputetur peccatum, non est necesse, ut infundatur iniquitas à Deo; quia homo ad malum satis est fortis, & potens; & sic quum Deus imputat peccatum, habet hominem pro peccatore, qui revera talis est ob improbitatem suam.

Opponunt secundo, Apostolum II. ad Corinthios V. ibi: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficiamur justitia Dei in ipso*; ergò sicuti Christus dicitur peccatum, hoc est peccator propter peccata, quae sunt in nobis; ità nos justi sumus ipsa justitia Dei, quae est in Christo: & ut imputantur ipsi peccata nostra, ità imputatur nobis justitia ipsius.

Respondeo: Apostolum dixisse, nos effici justitiam Dei ad servandam antithesim; quum enim dixisset, Christum factum esse peccatum, significans peccatorem; ità eodem tropo dixit, nos effici justitiam, significans justos; est autem hic modus Paulo familiaris, ut ad Ephesios II. *Eratis aliquando tenebrae* (hoc est obtenebrati) *nunc autem lux in Domino*, (hoc est illuminati.) Et dicitur justitia nostra, justitia Dei, quia à Deo est; at indè non fit, eam justitiam, quae à Deo datur, non esse inhaerentem. Dicimus autem justificari in Christo, & Christus dicitur esse justitia nostra, quia justitia illa inhaerens, est

est effectus satisfactionis Christi, quae nobis applicatur, ut exposuit Tridentinum Sessione VI. Capite septimo. S. Augustinus Lib. de Spiritu, & Litera, Cap. XVIII.

PROPOSITIO TERTIA.

Justorum opera, quae secundum Legem fiunt, non sunt dicenda peccata, sed verè, & propriè justa.

LUtherus in Libro de Libertate Christiana, docuit, omnia praecepta esse nobis impossibilia, aequè ac illud unum, *Non concupisces*; ex quo fit, omnia opera justorum esse peccata mortalia. Cui subscripsit Calvinus Lib. III. Institutionis Cap. 14. §. 9. ait enim: *nullum à Sanctis exire potest opus, quod non mereatur justam opprobrii mercedem*. Eadem canunt Melancthon Kemnitius, & reliquorum chorus. Contrà verò Catholica Ecclesia, in Tridentino docet Sessione VI. Can. 18. *Si quis dixerit, Dei praecepta homini, etiam justificato, & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit*. Et Can XXV. *si quis in quolibet bono opere, justum, saltèm venialitèr, peccare dixerit, aut quod intolerabilius est, mortaliter; atque ideò poenas aeternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputat ad damnationem, anathema sit*.

Probo primum. Legem non esse impossibilem

bilem iisdem, quibus Concilium Sessione VI. Cap. 11. utitur autoritatibus. Matthaei II. *Jugum meum suave est, & onus meum leve*. I. Johannis V. *Et mandata, ejus gravia non sunt*. Respondet Calvinus: ideò Legem Dei dici onus leve, & mandata non gravia, quia renatis non imputatur praevaricatio; ut Cap. III. ad Galatas: *Christus nos liberavit de maledicto legis*. Et ad Romanos VIII. *Nihil damnationis est his, qui sunt in Christo Jesu*.

Contrà. Quod peccatum non imputetur non tollit obligationem legis: nulla enim potest esse lex, quae non obliget; alioqui frustrà omninò diceretur jugum, onus, mandata; ergò ex praevaricatione contrahitur reatus; qui licèt postea tollatur, non tamen idcircò erit leve jugum, sed potius durissimum, & gravissimum, quippe quod portari non potest. Ut si boves ad singulos passus conciderent sub jugo; non ideò suave diceretur jugum, quia per industriam aratoris continuò surgerent. Ostendit autem Scriptura, praecepta Dei facilè observari, ut Psalmo CXVIII. *Viam mandatorum cucurri, quum dilatasti cor meum*: hoc est; quum infudisti caritatem; Et Paulus IV. ad Philippenses; *Omnia possum in eo, qui me confortat*; scilicet per gratiam.

Secundo, probatur ex eo, quod in Scripturis dicuntur, plerique mandata Dei custodisse; ut David, qui dictus est vir secundum cor Dei, qui omnes voluntates ejus faceret. Actor. XIII. Eadem praedicantur de Abrahamo, Moyse, Josue, Samuele, Jeremia, &c. & de omni-

bus

bus Apoſtolis: ait Jeſus Johannis XVII. *Tui erant, & mihi dediſti, & ſermonem tuum ſervaverunt*. Et omnibus in genere, qui Chriſtiani eſſe volunt, dictum eſt, ut diligant invicem; ergò ſi non eſt impoſſibile, ut homo ſit Chriſti diſcipulus, & amicus; non erit impoſſibile ſervare Legem, quia tota Lex conſiſtit in dilectione,

Reponunt: eum qui diligit implere legem, ſed neminem eſſe, qui diligat, ut oportet, ut ſatisfiat praecepto Divino, hic tantùm inchoatam eſſe dilectionem, non perfectam. Sed replicamus: verum eſſe, dilectionem in hac vita eſſe inchoatam reſpectu ejus, qui eſt in gloria ſine dubio major: At non ideò caritas in hoc ſaeculo, non poteſt adeo creſcere, ut etiam ſit perfecta, juxta illud Salvatoris, *Eſtote perfecti*; poteſt enim quis diligere Deum ex toto corde, quae eſt perfectiſſima caritas, ut dicit Scriptura de Noe, quod erat *vir juſtus, & perfectus*, Geneſis VI.

Nobiſcum ſentiunt SS. Patres, Chryſoſtomus Hom. VIII. de Poenitent. *Nequaquam Dominum accuſes; haud mandat impoſſibilia, multi & ipſa ſuperant praecepta: Si poſſumus ſupergredi, multo magis adimplere*. Paria leguntur apud S. Hilarium CXVIII., ubi explicat illud, *Latum mandatum tuum nimis. Latum, quia non eſt difficile, ſi voluntas adſit, praecepto Domini obtemperare*. Et S. Auguſtinus Tract. de Natura & Gratia Cap. XLIII. cujus verbis utitur Tridentinum citato Cap. II.; *Deus impoſſibilia non jubet: ſed jubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis.*

sis. Hieronymum, Cyrillum, Basilium missos facio, properandi studio.

Opponit Calvinus: primò illud S. Petri Actor. XV.: *Quid tentatis imponere jugum super cervices discipulorum, quod nec nos, nec Patres nostri, portare potuimus?* Sed cavillatur Pseudopropheta: ibi enim agitur de Lege caeremonialium Judaeorum, quam quidam discipuli servandam esse putabant; quamobrem illud Concilium celebratum fuit, ut cuique legenti patet.

Secundo opponit Paulum ad Romanos VII. *velle adjacet mihi: perficere autem non invenio.* Respondeo: loqui de concupiscentia, quae est in sensu, quae est infirmitas, non peccatum, quam nollet integer homo sentire, etiamsi non consentiat: ponit igitur in parte infelicitatis suae, carnem servire legi peccati: unde subjicit ibidem: *Infelix ego homo; quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

Tertio opponit. Jacobi II.: *In multis offendimus omnes.* 1. Johannis I.: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsos seducimus.* Ergò si homo non potest vitare omnia peccata, non potest servare totam legem. Respondeo: eos textus loqui de venialibus, quae omnia vitari non possunt: peccatum autem veniale non est *contrà*, sed *praeter* legem, ut docet S. Thomas; itaque possumus servare legem, & tamen peccare venialitèr, praeter ipsam aliquid facientes.

Probo nunc secundum. Opera, scilicet, Justorum, non esse peccata. In Psalmis, nihil frequen-

quentius; ut in XVII. *Retribuit mihi Dominus, secundnm justitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum, quia custodivi vias Domini, &c.* Et CXVIII. *Feci judicium, & justitiam, non calumnientur me superbi, &c. Igne me, examinasti, & non inventa in me iniquitas.* Matthaei V. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum.* Denique in multis offendimus omnes, ergò non in omnibus; ne quid dicam de illationibus, quae secuntur ex doctrina Protestantium, ut: omnia opera bona sunt facienda; quaedam peccata mortalia sunt opera bona; ergò quaedam mortalia sunt facienda: nullum peccatum est faciendum, omnia bona opera sunt peccata; ergò nullum opus bonum est faciendum. Quid possit absurdius dici, judicent, qui sapiunt.

Opponunt primò. Ecclesiastes VII. *Non est homo justus, qui faciat bonum, & non peccet.* Respondeo: Salomonem, non hoc significare, quod homo justus peccat, dum benè agit; sed neminem esse adeo justum, ut benè semper operetur, & non aliquando cadat. Alitèr interpretari, est cavillari.

Opponunt secundo, textum Isaiae Cap. LXIV., in quo exultant adversarii: *Facti sumus, ut immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatae universae justitiae nostrae.*

Respondeo: Isaiam loqui formâ genericâ ex usu Scripturae; intelligere autem solos impios, ob quorum peccata Deus iratus est, & Urbem, ac populum traditurus in manus Regis Babylonis; quod nequit intelligi de pecca-

tis.

tis justorum; ea enim dissimulat Deus, secundum Lutheranos: illa autem locutio, est Sacris Scriptoribus familiaris, ut quum dicit Moyses Genesis VI. *Omnis caro corruperat viam suam*, quod & superius observavimus.

PROPOSITIO QUARTA.

Opera bona, sunt meritoria vitae beatae.

EST contrà Bucerum, Brenzium, & Sectarios fermè omnes, definita in Tridentino Sessione VI. Can. 32 Probatur; vita aeterna saepissimè in Sacris Literis dicitur *merces*, Matthaei V. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Coelis*. Et Cap. XX. *Voca operarios, & redde illis mercedem*. Calvinus contendit; vitam aeternam impropriè dici mercedem, propriè verò dici hereditatem, quae datur filiis, ut filiis, non ex meritis operum. Sed quum in Scriptura dicatur, & hereditas propriè dicitur, merces impropriè? Certè aliquando est hereditas, & non merces, ut in infantibus baptizatis; sed adultis voluit Deus eam dari, ut hereditatem filiis, ut mercedem operantibus, qui & Christum ipsum exaltavit, quia humiliavit semetipsum.

Praeterea, si daretur ut hereditas, essent omnes in ea pares, ut omnes aequè sunt filii: atqui datur secundum mensuram operum, ergò datur ut merces. Quod enim Deus reddit unicui-

cuique secundum opera sua, secundum laborem, quod quae seminaverit homo, haec & metet, qua mensura mensus fuerit, remetietur illi; vulgatissima sunt Scripturae testimonia. Dicitur etiam Coelestis gloria, corona justitiae, corona vitae, bravium, depositum, quae meriti justitiam indicant. Denique id constat ex formula Judicii novissimi: *Venite benedicti: esurivi enim, & dedistis, &c.* Tò enim causae, vim praefert. Et Matthaei XIX *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: gloria igitur est operibus promissa. Unde concludit Augustinus Epist. XLVI. ad Valentinum: *Si non sunt merita; quomodò judicabit Deus hunc mundum?*

Opponunt primò Psalmum CII. *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus*. Et Jacobi II. *Judicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam*: ergò si vita aeterna datur ex misericordia, datur gratis, non ex meritis.

Respondet S. Augustinus Lib. de Corrept., & Gratia Cap. XIII. Coelestem gloriam dari ob merita, sed merita non acquiri sine misericordia; non potest enim homo facere opus meritorium, nisi fuerit justificatus; at justificatur ex gratia Dei, non ex operibus. Praeterea in ipsa retributione vitae aeternae, semper indigemus misericordia Dei, saltèm ut peccata levia condonet, sine quibus nemo vivit, & pauci moriuntur: omnia enim venialia vitari non possunt, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, ex Tridentina definitione Sessione VI. Can. 23.

Op-

Opponunt secundo Christi verba, Lucae XVII. *Quum feceritis haec omnia, dicite: servi inutiles sumus; quod debuimus facere fecimus.* Operum igitur nostrorum, nullum est meritum.

Respondeo cum Chrysostomo: quod Dominus non pronunciat, nos esse inutiles, sed monet, ut ipsi dicamus, nos esse inutiles Servos, nè fortè superbia, benè facta corrumpat. Constat autem ex eadem Parabola; servum inutilem eum judicatum fuisse, qui talentum occultaverat, non eos, qui negotiati fuerant, sed dicuntur servi boni, & fideles; ergò non inutiles. Vel cum S. Augustino Serm. III. de Verbis Domini, quod sumus inutiles ex nostra conditione, qua per quaecunque opera nihil à Deo mereri possumus: non autem ex pacto, quod ipse liberaliter convenit nobiscum. Undè exclamat S. Doctor: *O magna bonitas Dei, cui quum pro conditione reddere debeamus obsequium, utpotè servi Domino; amicitiarum nobis praemia repromittit, ut à nobis obsequia justae servitutis extorqueat.*

Tertio opponunt illud Apostoli ad Romanos VI. *Stipendium peccati mors: Gratia Dei vita aeterna.* Cur non dicit, perpetuam felicitatem esse stipendium bonorum operum; sicuti mors est stipendium peccati? ait autem, illam esse meram Dei gratiam: nam ei, qui operatur, inquit idem Paulus Cap. IV. *merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.*

Respondet S. Augustinus in Enchiridio ad Laurentium Cap. CVII. rectè potuisse Apostolum

dicere; stipendium benefactorum esse Coelestem fruitionem: quid enim interest, stipendium ne dicat quis, an mercedem? sed abstinuit; ne quis putaret, ita nos posse à nobis benefacere, ut malefaciamus. Dicitur ergò beatitudo gratia Dei, non quia non est stipendium meritorum; sed quia nos non possumus mereri sine gratia Dei. Quod subjicebatur ex Cap. IV. intelligitur de operibus, quae sola naturali facultate, absque auxiliis supernaturalibus fieri existimabant ii, quos ibi Paulus refellit. An vero justorum opera ex caritate facta, sint meritoria vitae aeternae de *congruo* tantùm, an etiam de *condigno*: & si de condigno, an solùm ratione Divinae promissionis, an verò etiam ratione ipsorum operum, Scholasticorum est disputare.

APPENDIX

De bonis operibus in specie.

Bona opera ad triplex genus reducuntur, ad Orationem, scilicet, Jejunium, & Eleemosinam, ut inquit Angelus Raphaël ad Tobiam Cap. XII. *Bona est oratio cum jejunio, & eleemosina, magis quam thesauros recondere*; idcircò subnecti solet praecedenti tractatui, *de Operibus in specie*. Verum de eleemosina, quod sciam, nulla est cum haereticis nostri aevi controversia; omnes enim ex Evangelio confitentur, quod superest dandum esse pauperibus. Potius ergò in nostris Theologis aliquid reperire est, quod

quod jure arguere possis; quasi enim Evangelica propositio esset de subjecto non supponente; eam ita interpretati sunt, ut vix in Regibus superfluum statui possit. Vasquez de Eleemosina Cap. IV. num. 14., quae opinio damnata fuit ab Innocentio XI.

Quod attinet ad Orationem: pauca, & levia quaedam sunt, de quibus litigant Protestantes, ut de Horis Canonicis, quod non sint eo ritu recitandae, quo Romana Ecclesia utitur. Tres enim Psalmos manè dici instituit Lutherus, tres Vesperi; quod sanè tanti non est, ut contendere nobiscum debeant, qui veterem consuetudinem praeterimus, usque a tempore S. Augustini, ut patet ex Libro IX. Confessionum Cap. 7.: & videri potest eruditissimum opus Stephani Durandi de Ritibus Ecclesiae Catholicae Lib. III. Tales etiam sunt quaestiones, an rectè adhibeatur cantus in Sacris; an reprehendendi sint Pontificii, qui docent, mulieres, & idiotas dicere preces linguâ latinâ, & more psittacorum. Cantus enim, & organa à primis Ecclesiae saeculis usui fuerunt; unde Cantoris munus inter Clericos; pertinet verò ad ritus Majestatem, & Sacrorum dignitatem uti lingua, non omnibus pervia, ne rude vulgus sacris vocibus abutatur: qua ratione Alexander VII. anno 1661. prohibuit Missale, in linguam Gallicam conversum.

De jejunio plura deblatherant. Quum enim ex Ecclesiae regula, jejunium tribus perficiatur; unicâ comestione, serotina, & delectu ciborum. Calvinus Libro IV. Instit. Cap. 12.

omnia tria negare videtur : ait enim, jejunium constare tempore, quantitate, & qualitate. Pro tempore, non intelligit certam, & definitam horam, sed tantùm si jejunium, v. gr., fiat ob solemnem precationem, ut ne comedatur, antequam precatio absolvatur ; & sic in ceteris, quorum gratia jejunium suscipitur. Per quantitatem, non intelligit unicam refectionem, sed ut sit parcior consueta. Per qualitatem, non delectum ciborum significat, sed abstinentiam à Lautitiis in genere.

At verò jejunium, ex usu omnium gentium, fit una comestione, eaque sera. In Veteri Testamento multa sunt loca, quibus id demonstratur. Judicum XX. *Jejunaverunt illo die, usque ad vesperam*: & alibi. Et hodie Judaei quum jejunant, cibum nullum degustant, nisi prius stellam aspexerint, de quo mentio est apud Tertullianum in Lib. adversus Psichios; & S. Hieronymum Lib. II. contrà Jovinianum. Saraceni eundem ritum observant, ut patet ex Alkorano, Cap. II. Veteres Christiani in Quadragesima, jejunium non solvebant, nisi vespere, ut ostendit S. Basilius Orat. I. de jejunio; in aliis verò jejuniis hora nona: ut IV. Feria, & Sabbato. Ità S. Epiphanius, Athanasius, Paulinus aliique. Et est in Regula S. Benedicti Cap. XIV. *Quartà, & Sextà Feria jejunent usque ad nonam: ab initio Quadragesimae, usque ad Pascha, ad Vesperam reficiant*. Sed notabilis est Chrysostomi sententia Homilia VI. in Genesim: *Quae utilitas jejunii, dic, obsecro, si tota die nihil comedis; ludis autem, & nugaris; saepè etiam pejeras*

jeras, & blasphemas, & ità totam perdis diem.

De ciborum autem delectu, magnae sunt Protestantium querelae: in eum excandescunt Lutherus in Libro de Libertate Christiana; Melanchthon in Confessione Augustana, Centuriatores Magdeburgenses, Brenzius, ceterique Reformati, quibus omnibus praeivit homo dicacissimus Desiderius Erasmus, qui & in Libro de Interdicto esu carnium, & in Colloquiis saepè in jejunium, & esuriales Ferias debacchatur. Tum verò in Epistola ad Episcopum Basiliensem, ità scribit: *Paulatim irrepsit consuetudo, qua diem Veneris pisculentum nobis reddidit: deindè, ubi hoc successit, adjuncta est, & Sabbati dies; nunc etiam, & Mercurii periclitatur; ob idque genus observatiunculas, videmus homines affligi; & deniquè mori, sibique Christianos videri, quum sint Judaei.*

Porrò Sectariorum calumniae adversus nostros, ad has rediguntur. Primo: quod vitare carnes, velut immundas, damnatum olim fuit in Hebionitis, & Priscillanistis, ut narrat Epiphanius, & Augustinus in Cathalogo haereticorum. Secundo: quod in delectu ciborum, non gula compescitur, sed potius varietas quaedam inducitur; undè non molestia, sed voluptas affertur palato. Legimus enim apud Romanos, lautiores habitas mensas, quae piscibus, quam quae carnibus instructae erant. Cicero Orat. in Pisonem, ut ejus sordes exagitaret: *Extructae*, inquit, *mensae non conchiliis, aut piscibus, sed multa carne subrancida*. Horatius II. Satyr. II. convivium frugale describens, ait:

Benè erat, non piscibus urbe petitis
Sed pullo, atque haedo. . . . .

Quis igitur temperantior, qui carne fumo durata vescitur: an qui optimis piscibus, variisque condimentis gulam irritantibus? Tertiò ostendit haereticos, quod Ecclesia ità delectum ciborum imperet, ut peccare credantur, qui secùs fecerint.

Sed calumnias istas, parvo negotio elidunt nostri. Prima quidem, est omnium vanissima; neque enim nos cibum ullum, ut immundum damnamus, ut olim Manichaei, & Priscillanistae; alioqui carnibus nunquam vesci liceret: licet autem per reliquum tempus, imò & per valetudinem in ipsis diebus jejunii; carnes igitur non immundae putantur; nè à Carthusianis quidem, qui nunquam eas attingunt: quamvis enim severitatis causa, id vitae genus elegerint, non tamen alios culpant, aut inquinari credunt, qui carnes edunt.

Ad secundum dicimus; quod si Ecclesia lautitias in genere prohibuisset, legem tulisset omninò vagam, & incertam, ac mille fraudibus obnoxiam; quod enim uni est lautum, alteri non est: qua etiam ratione non praescripsit quantitatem cibi: nam quod uni esset nimium, alteri parum esset. Quum igitur jejunio nihil aliud quaesiverit, nisi corpus castigare, & in servitutem redigere; opportunum duxit carnem interdicere, utpotè cibum, qui & magis delectat, & magis nutrit. Illud autem argumentum de carne arida, & optimis piscibus, invidiosum est, neque fit justa collatio; si enim arida cum aridis,

&

& recentia cum recentibus comparentur; semper carnes praestantiores erunt, & gratiores; per accidens igitur est, quod frugalior sit, qui modicè utitur carnibus, quam qui immoderatè piscibus; neque tamen ullus vir probus dicet, hunc jejunare, licèt aliud videatur Probabilistis.

Neque dicas: debuisse Ecclesiam potius vinum vetare, quod *lac Veneris*, dicitur ab Aristophane; undè Romanas foeminas abstemias aetatem egisse, & mulctatas, si vinum bibissent, ex Catone refert Gellius Lib.X. Cap. 23.

Respondetur enim: quod vel usu vini est immodicus, & hic non est opus Ecclesiae prohibitione, quum prohibeatur jure naturali, & divino: vel est modicus, & non potuit ab Ecclesia interdici, quum dicat Apostolus ad Timotheum: *utere modico vino propter stomachum*. Licèt enim spiritus subministret, breve autem, & leve est corpori subsidium, quod ex cibo magis, quam ex potu vires capit. Ceterum, qui perfectioni student, à vino etiam abstinent jejunantes; exemplo Danielis, qui Cap. X. quum jejunaret, ait: *& caro, & vinum non introjerunt in os meum*: Quod & veteres Christiani observasse, testatur Eusebius Lib. II. Cap. 17.

Quod autem ad jejunii praeceptum, quae tertia est Protestantium criminatio, probatur illud in genere, à lege Divina esse, in specie ab Ecclesiastica. Etenim poenitentia, continentia, coërcitio carnis, à Deo praecepta sunt: at jejunium pars est poenitentiae, bona pars continentiae, maxima verò pars coërcitionis nostri cor-

poris; est igitur jejunium Divino jure imperatum. Huc spectat illud Joelis Cap II. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu*. Quod ut exponit Leo Magnus: morale praeceptum est, non coeremoniale, vel judiciale; ideòque non magis ad Judaeos, quam ad Ecclesiam pertinet. Item Christus, quum dicit Matthaei VI.: *Tu autem quum jejunas, unge caput tuum, &c.* supponit esse aliquando jejunandum.

Constat igitur, jejunandi necessitatem ex Divino decreto esse; tempus verò, modum, ac reliquas circumstantias, ab Ecclesiae Constitutionibus esse profecta, quod praeclarè Augustinus docuit Epist. LXXXVI. ad Casulanum, ubi inquit: *Ego in Evangelicis, & Apostolicis Literis, totoque Testamento, quod appellatur Testamentum Novum, animo id revolvens, video, praeceptum esse jejunium; quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, praecepto Domini, vel Apostolorum, non invenio definitum*. Perperam verò Kemnitius, textum Evangelii, intelligit de temperantia, eamque cum jejunio confundit. Nam, ut dicebat citato loco Augustinus: quibusdam diebus jejunare, aliis non jejunare oportet: at oportet semper temperantem, ac sobrium esse: crapula enim, & ebrietas semper mala sunt.

Reliquum proindè fuit, ut praeceptum generale jejunando, ab Ecclesia, ad certas species determinaretur, quod & factum est in praecepto sumendae Eucharistiae, & Sanctificationis Sabbati; potuit ergo Fidelibus cibum praescribere,

bere, & certis diebus jejunium indicere, sub obligatione conscientiae. Probatur hoc ex Cap. XXXV. Jeremiae, ubi laudantur filii Jonadab, quod paruerint Patris imperio, qui usum vini perpetuò interdixerat. Si enim hoc potuit pater cum filiis, quos propter obedientiam Scriptura commendat: quid ni idem poterit cum filiis suis Mater Ecclesia? Legimus etiam in libro Esther Cap. IX. postquam Judaei evaserunt persecutionem Aman; in ejus rei memoriam, novum festum, & jejunium suscepisse observandum, ex Mardochaei constitutione. Praetereà in Veteri Testamento, potuit Ecclesia jejunium indicere, ut patet ex jejuniis mensium quarti, quinti, septimi, & decimi, quae non fuerunt à Deo praescripta, sed à Judaeorum Rectoribus: Zachariae VIII. Cur hanc potestatem Ecclesiae Christianae negabimus?

Idem evincitur ex Cap. XV. Actorum, ubi Apostoli, Christianum prohibuerunt vesci sanguine, & suffocato; eà ratione, ut exponit Augustinus Lib. XXXII. ad Faustum Cap. 13., ut facilius Ecclesia ex Gentilibus; & Hebraeis coalescere, illos enim cibos vehementer Judaei abhorrebant; idque praeceptum, fuit olim tantà Fide servatum, ut mallent Christiani mortem petere, quam sanguinem degustare, ut refert Tertullianus in Apologetico Cap. IX.; ergò potest Ecclesia cibi genus aliquod interdicere.

Accedit Canon Apostolorum LXVIII., ubi jubetur: violatores Quadragesimalis jejunii, Clericos deponi, Laicos excommunicari. In Can. Laodicensi Cap. L. indicitur in Quadragesima

sima Xerophagia, hoc est comestio aridorum: quibus addi possunt Concilia Gangrense II. Canone 9., & Moguntinum tempore Caroli Magni Canone XXXV. atque alia.

Porrò jejunium Quadragesimae à ab ipsis Apostolis impositum fuisse, testificatur Hieronymus in Epist. ad Marcellam, subdens; quod licet in aliis temporibus, exceptâ Pentecoste, liceat jejunare: tamen aliud est necessitate, aliud voluntate munus offerre. Et Augustinus Serm. LXII. de Tempore ait: *Aliis diebus jejunare remedium est, aut praemium; in Quadragesima non jejunare, peccatum est*. Tanta autem fuit de hoc praecepto Christianorum persuasio, ut quum Justinianus Imperator, ob ingentem penuriam ceterarum rerum, jussisset in secunda Quadragesimae septimana, carnes in macello Constantinopolitanae Urbis, publicè venales exponi: nullus in tanto populo inventus est, qui eas emeret. Ex histor. Nicephori Lib. XVII Cap. 32.

Opponunt primò, Matthaei XV. *Quod intrat per os, non coinquinat hominem*. Et I. Corinth. X. *Omne quod in macello venit, manducate*; ergò Ecclesia, non potest eam nobis libertatem adimere, quam à Christo, & Apostolis habemus, omnia, scilicet, comedendi indiscriminatim.

Respondeo: verba Evangelii, non hoc absolutè significare, non contrahi unquam delictum, quidquid in buccam intret: alioquin crapula, & ebrietas, quia per os intrant, culpanda non essent, quod est falsum. Sed voluit Dominus redarguere Judaeorum superstitionem,

quia

quia putabant, animam maculari, si cibus, illotis manibus, caperetur. Unde dicitur Marci VI.: *Judaei nisi crebrò laverint manus, non manducant, tenentes traditionem Seniorum*. Praeterea quibusdam vesci recusabant; quia in Lege Moysi prohibebantur, non quia immunda essent natura sua, sed ob certam significationem rerum futurarum; quae non rectè distinguentes, ea superstitiosè, veluti maledicta vitabant. Sic exponit S. Augustinus Lib. I. de Moribus Ecclesiae Cap. 33. Atque ob eandem rationem, monet Paulus Corinthios, ut comedant sine sollicitudine quaecunque in laniena, carnes venduntur; ad delendam, scilicet, Judaicam observationem, qui carnes aliquas abhorrent; ut doceret nimirum, fideles veteris legis jugo jam esse liberatos. Ceterum idem Apostolus ad Romanos XIV admonet: *Noli, propter escam destruere opus Dei. Bonum est non manducare carnes, si frater tuus offenditur, &c.*

Eadem ratione intelligendi sunt alii Apostoli loci, quos urgent Protestantes: ut ad Colossenses II. *Si mortui estis cum Christo ab elementis bujus mundi; quid adbuc decernitis, nè tetigeritis, nè gustaveritis, nè contrectaveritis? quae sunt omnia in interitum ipso usu, secundum praecepta, & doctrinas hominum*. Et I. ad Timotheum IV. *In novissimis diebus discedent quidam à fide; probibentes nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creavit*. In primo enim, loquitur manifestè de observationibus Hebraeorum, quibus ex lege Levitica, non licebat tangere cadaver hominis, neque sedem, aut lectum mu-

lieris

lieris menstruatae; non gustare suillam, non leporinam, &c. In secundo damnat Marcionitas, & Manichaeos, qui cibos quosdam vetabant, ut immundos. Ità exponunt Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, aliique.

Opponunt tertio, locum Eusebii Lib. V. Historiae Cap. 17., ubi ex Apollonio refert; Montanum primum fuisse, qui leges jejunii imposuerit.

Respondet Bellarminus; vocem illam, *primum*, esse additionem haereticorum; abest enim à textu Graeco Eusebii, & ab Editionibus Latinis, exceptà Basileensi. Praetereà Tertullianus, acerrimus Montani defensor, nusquam dicit, fuisse illi objectum, quod primus de jejuniis leges tulerit; sed quod novas addiderit; tres enim Quadragesimas observari jubebat, ut Hieronymus dicit in Epistola ad Marcellam. Denique idem Tertullianus testatur, jejunium Quadragesimae ante Montani aetatem, Ecclesiae in usu fuisse. Non igitur Montanus primus fuit, qui jejunium imperavit Christianis.

Quarto opponunt, historiam S. Spiridionis Episcopi, qui quum hospes ad se Quadragesimae tempore venisset, carnes ei ad vescendum apposuit; ut autem formidanti scrupulum eximeret, ait: posse Christianum carnibus vesci, quum Christianis dictum sit; *Omnia munda mundis*. Narrat Sozomenus Lib. I. Historiae Ecclesiasticae Cap. 11.

Respondeo: eam historiam Catholicorum causae maximè favere: Nam Spiridon, ideo carnes salitas hospiti apposuit; quia ipse ne panem

qui-

quidem eo die paraverat, & hospes valdè fessus erat ex itinere; necessitas igitur, cui lex non est posita, culpam omnem detersit. Sed illud notandum est; Spiridionem, priùs à Deo veniam petiisse. Quorsum hoc, nisi lex de ciborum delectu obliget coram Deo? hospes carnes attingere formidat; cur nisi lege se obligari sensisset? Verba verò ex Apostolo desumpta; *Omnia munda mundis*; ideò protulit Spiridion, ut nosset hospes, carnem non esse cibum immundum; ideòque cessante, ob necessitatem, praecepto; comedere illam oportere, nè immundam esse, credere videretur.



LIBER OCTAVUS

De Sacramentis.

CAPUT PRIMUM.

De Sacramentis in genere.



Ulta sunt, quae de nomine Sacramenti altercantur Sectarii: hanc enim vocem alii improbant, alii tolerant. Zuinglius pater Sacramentariorum in Lib. de Vera, & Falsa Religione, ait: se magnopere cupere hanc vocem *Sacramentum*, Germanis nunquam fuisse receptam. Calvinus IV. Institutionum 14. §. 13. scribit, veteres hujus vocis significationem, pro suo libitu affinxisse, ad designanda signa sacra; ignorantes quid apud Latinos ea vox valeret; se tamen nolle de verbis contendere, qua in parte, & certare de vocibus, otiosum esse putamus: sivè enim vocentur signa, sivè Sacramenta, sivè Mysteria, ut Graeci locuntur, ad summam Fidei nihil confert.

Quod

Quod ad rem; Lutherani sic definiunt: *Sacramentum est signum, & testimonium Divinae voluntatis ergà nos, ad excitandam, & confirmandam Fidem in his, qui utuntur, propositum*. Quae definitio si vera esset, frustrà baptizarentur infantes, & furiosi, in quibus Fides excitari non potest. Et licèt Lutherus non sit veritus dicere, infantes, dum baptizantur, credere; nihil tamen nos cogit, ut magis Luthero, quam nobis ipsis credamus, qui cernimus, infantes dum abluuntur vagire, & refugere: unde S. Augustinus Epist. LVII. ad Dardanum scribit: *eos qui talia proferunt, injuriam facere humanis sensibus*.

Phanatici, secuti Carolostadium, ajunt: *Sacramentum esse signum institutum, ad discernendos Christianos ab infidelibus*: quemadmodum Graeci, pallio; Romani, togâ distinguebantur à ceteris; & Monachi, forma, & colore vestis, inter se dignoscuntur. Sed haec phanatica definitio facilè subvertitur; nam Christiani non discernuntur ab Infidelibus per Baptismum; quippè olim Gentiles aqua corpus lustrabant ad expiandas animae sordes: Muhamedani Templum adeuntes, se abluunt more priscorum Arabum: Judaei, infantes statim natos, aqua lavabant: undè ait Ezechiel ad Jerusalem Cap. XVI. *Quando nata es, non est praecisus umbilicius tuus, & aqua non es lota in salutem*. Sacerdotes Hebraeorum saepè lavabant. Proselyti circumcisione, baptismo, & sacrificio consecrabuntur. De Persis, Aegyptiis, aliisque, videri potest Daniel Huetius Lib. II. de Concor-

cor-

cordia Rationis, & Fidei Cap. 20. Melius autem distinguuntur Christiani per Confessionem Fidei, quae solis Catholicis convenit; Baptismus verò communis est, etiam haereticis: & per caritatem, ut dicitur Johannis XIII. *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si diligatis invicem.*

Calviniani, Sacramentum definiunt; quod sit, *testimonium Praedestinationis, institutum ad eam Fidem alendam, qua homo certò credit, se esse praedestinatum.* Sed haec definitio, plura continet absurda. Primò enim supponit, solos praedestinatos Fidem habere, eamque semel habitam, nunquam amitti posse, quod est erroneum; nam Judas veram Fidem habuit, nec tamen fuit praedestinatus: Petrus verò praedestinatus fuit; amisit tamen veram Fidem, quum Christum negavit. Secundo adversatur Baptismo parvulorum, quod etiam per Calvinum, est verum Sacramentum; in illis verò nulla est Fides, quae ali, & sustantiari possit. Tertio de certitudine praedestinationis statuit, quam nemo habere potest.

Rectè igitur definitur Sacramentum à Catholicis; quod, *sit signum corporeum gratiae justificantis, seù justitiae inhaerentis.* Corporeum autem dicitur, quia singula Sacramenta constant rebus, & verbis, sivè ut Scholastici locuntur, materia, & forma: neque in hoc, controversiam patimur ab haereticis, saltem si verba in genere dicantur ad Sacramentum requiri, sublatis morosis, & odiosis quaestionibus de vocabulis *materiae, & formae*. Videndum tamen, quodnam

nam verborum genus, sit constitutivum Sacramenti.

PROPOSITIO PRIMA.

Sacramentum non fit verbis Concionalibus, sed Consecratoriis.

EST contrà Calvinum, qui existimat: verba, quibus Sacramentum constat, non esse formulam aliquam, quasi magicam incantationem; sed esse verbum Dei, seu praedicationem, quae intelligere nos faciant, quid sibi velit signum visibile; id autem falsum esse, probatur primò: quia si concio esset necessaria Sacramenti pars, munus concionandi esset inseparabile à munere baptizandi, contra quam dicit Apostolus I. ad Corinthios X.: *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare*. Et Chrysostomus Homilia I. in citatam Epistolam, testatur, suo tempore munus baptizandi simplicioribus Presbyteris, & minus peritis: docendi vero verbi, sapientioribus commissum fuisse: facile enim est, formam, seù verba consecratoria pronunciare; non aeque Divina Mysteria, & Sacramenti efficaciam exponere. Sic Cap. X. Actorum, Petrus concionem habuit, ut aperiret Cornelio vera Religionis mysteria; deindè jussit baptizari in nomine Domini Jesu Christi; ergo aliud est munus baptizandi, aliud concionandi; ideoque verba concionalia, non sunt constitutiva Sacramenti.

Secundo probatur. Si forma Sacramenti,

in concione consistit; non deberent parvuli baptizari, juxtà illud Salomonis, Ecclesiastici XXXII. *ubi non est auditus, non effundas sermonem:* atqui rectè baptizantur, etiam per Calvinum; non igitur in concione, vis baptismi posita est.

Tertio: Baptismum nostrum non irritum esse, censent Protestantes, neque tamen concio ulla adhibetur; ergò non est necessaria concio pro baptismo, neque ejus erit forma. Qua in re admiranda est Calvini inconstantia, atque perversitas: nam IV. Institut. Cap. 15. §. 16. disputans adversus Anabaptistas, se ritè baptizatum esse fatetur; nec propterèa rebaptizandum, quum tamen ipse ritu Romano baptizatus esset. At in Commentario Epist. ad Ephesios Cap. V. ait: *nullam esse apud Papistas legitimam signorum observationem, quod desit apud eos explicatio ad populum, quae sola facit, ut mortuum elementum, incipiat esse Sacramentum.*

Opponunt Augustini locum Tractatu LXXX. in Johannem: *ubi tanta virtus aquae, ut corpus tangat, & cor abluat? nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur: nam & in ipso verbo, aliud est sonus transiens, aliud virtus movens, hoc est verbum fidei, quod praedicamus.*

Respondeo; Augustinum ibi explicare verba illa Christi Johannis XV. *Jam vos mundi estis, propter sermonem, quem locutus sum vobis*; aitque, vim mundandi semper tribui verbo; nam, vel quis justificatur extrà Sacramentum per Fidem, & Fides est ex auditu; vel justificatur in Sacramento; & hoc non fit, nisi per verbum consecratorium, quod non justificat,

quia

quia dicitur, *hoc est*, quatenus est quid naturale, sive aëris modulatio; sed quia creditur, *hoc est*, quatenùs invocatio Trinitatis Fide percipitur: verbi enim, ut verbum est, non potest major esse virtus ad animum purgandum, quam aquae; quum utrumque sit quid corporale. Ceterum Fides actualis, non est necessaria in Baptismo; etenim si tota periret Ecclesia, & Paganus baptizaret infantem eâ mente, ut quod Christus instituit faceret, ille erit baptizatus, quum tamen in neutro esset Fides.

PROPOSITIO SECUNDA

Sacramenta conferunt gratiam, ex opere operato.

HAec sunt monstra verborum, quae tantopere subsannat Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini Sessione VII. Can. 8. scilicet; quia *operatum* contrà Grammaticos Canones, passivè accipitur. ut *promereri*: in Epistola ad Hebraeos Cap. XIII. *Talibus hostiis promeretur Deus*. Catholici tamen, ista negligunt in Religionis negotio; memores Augustini, qui quum in Psalmo CXXXVIII. dixisset, *ossum*: subdit: *Melius est, ut nos reprehendant Grammatici, quam, ut non intelligant populi*. Et S. Gregorius: *Absit, ut verba coelestis oraculi restringam, sub regulis Donati*.

Ad intelligendum autem Propositionis sensum, animadvertendum est cum Bellarmino Lib. II. de Sacramentis Cap. 1.: Sacramentum

conferre gratiam ex opere operato; idem esse, ac gratiam conferri, ex vi ipsius actionis Sacramentalis, à Deo ad hoc institutae, non ex merito agentis, vel suscipientis. Plura enim sunt, quae ad hominis justificationem in Sacramento, & haec quidem est principale agens. Secundò, Passio Christi, quae non est causa meritoria. Tertio, potestas, & voluntas Ministri, quae requiruntur necessario ad conficiendum Sacramentum ipsum; sed dicuntur caussae remotae, quia Sacramentum ipsum est, quod immediatè operatur. Quarto, probitas in Ministro requiritur, nè ipse sacrilegium committat in administratione: non tamen est causa gratiae in suspiciente, sed prodest tantum per modum impetrationis, & exempli. Denique in suscipiente adulto requiritur voluntas, fides, & poenitentia, non ut causae, sed ut dispositiones ex parte subjecti; non enim illae dant efficaciam Sacramento, sed solum removent impedimenta, quibus Sacramenti virtus retunditur; ideoque in pueris contingit sine illis justificatio, quum nulla requiratur dispositio.

Protestantes contendunt, Sacramenta in se, nullam habere efficaciam ad gratiam conferendam; sed tantum esse signa quaedam instar picturae, quae excitant Fidem, qua homines justificantur. Ità Sacramentarii omnes, secuti signiferos illos Sathanae, Lutherum, & Calvinum. Theodoretus Beza in Lib. de Summa rei Sacramentariae quaest. II.; Melanchthon in Libro contrà Anabaptistas: Kemnitius in Examine Concilii Tridentini, & reliqui.

Probatur Catholicum Dogma. Primo, ex ver-

verbis Baptistae, Johannis I.: *Ego baptizo vos aqua, ille baptizabit vos Spiritu Sancto*: Si Sacramentum Christi, nihil est aliud, quam signum externum, quo interior sensus movetur, ut loquitur Beza; jam nullum esset discrimen inter baptismum Johannis; hic enim satis erat idoneus ad alendam Fidem; erat enim baptismus poenitentiae in remissionem peccatorum, in quo praedicabatur simul Fides Mediatoris, ut crederent in eum, qui venturus erat, ut dicitur Actorum XIX.; atqui tanta erat inter utrumque differentia, quanta inter aquam, & spiritum: unde Paulus ibi jussit, eos qui baptizati fuerant baptismo Johannis, baptizari baptismo Christi; ergo Sacramentum Christi suâ virtute gratiam confert, non tantum excitat Fidem.

Secundo. Marci ultimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*; salvat igitur baptismus: at non excitando Fidem; quia haec supponitur, neque potest causa effectum subsequi; ergo ex opere operato. Idem probant Christi verba Johannis III. *Nisi quis renatus fuerunt ex aqua, & Spiritu Sancto; non potest introire in Regnum Dei*. Calvinus, Zuinglius, Bucerus volunt: in hoc loco, non agi de Baptismo. Contra Justinus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, Cyrillus, Augustinus de Baptismo, exponunt. Quibus vero potius sit habenda Fides, non erit difficile; sano capiti judicare.

Tertio. Baptismus datur in remissionem peccatorum, Actorum II., & XXII. ibi tamen iis datur, qui jam in Christum crediderant;

ergò baptismus non remittit peccata excitando Fidem, quae quum possit excitari multis modis; nihil interesset, an quis baptizaretur, an audiret concionem, an legeret Scripturam, &c., quae melius Fidem excitant, & potuissent etiam ab hominibus institui, neque indiguissent meritis, & passione Christi. Adde; quod satis esset, uni baptismum administrari, ut prodesset omnibus praesentibus, qui aequè ad Fidem excitarentur; imò sufficeret imaginem baptismi intueri in tabella depicta; quo nihil dici potest insanius.

Denique baptismus datur infantibus, surdis, furiosis, dormientibus, in quibus frustrà quis Fidem excitare conatur. Quod autem recte iis administretur, praeter praxim Ecclesiae perpetuam, docet etiam Augustinus Lib. IV. Confessionum Cap. 4., ubi narrat de quodam, qui quum ex vi morbi extrà se positus esset, neque cognosceret quid erga se fieret, utiliter tamen fuit baptizatus.

Omitto innumeras Graecorum, Latinorumque Patrum autoritates, quae ad nostrum dogma confirmandum afferri solent. Lutherus enim nihil eas moratur, quum esse, dicat, hominum dicta sibi ipsis saepius pugnantium, & pleraque humano sensu extrà Scripturas docentium. Calvinus verò voluit, Patres, quum dicunt, Sacramenta dare salutem; hyperbolicè, & per figuram esse locutos; quod miseri Sophistae non intelligentes, ipsi hyperbolica sua dogmata promulgarunt.

Opponit Lutherus. *Qui credit, & baptizatur,*

zatur, salvus est, qui non credit damnatur, etiamsi baptizetur; ergò Fides salvat, non autem baptismus. Ait enim Dominus Marci ultimo: Qui non crediderit condemnabitur: non dicit, qui non fuerit baptizatus condemnabitur.

Sed qualis sit illa consecutio, potest ex hoc simili argumento cognosci. Ait Paulus I. ad Corinthios XIII. Fidem sine caritate nihil prodesse; ergo inferat Lutherus, Fidem nihil prodesse. Recta illatio haec erit: qui credit; & baptizatur, salvus est, qui non credit, peribit; ergo solus baptismus non salvat: non illa consequentia; ergo baptismus non solvat. Idcirco autem Dominus non repetit: qui non baptizatur, damnatur, quia satis fuit dicere, qui non credit, qui enim non credit, non vult baptizari, & etiam si vellet, nihil ei prodesset. Docet autem Dialectica, à genere ad speciem, negative argumentum procedere, non affirmative: valet igitur; non credit, ergo non salvatur; at non ità; credit, ergò salvatur, quia nisi baptizetur, non introibit in Regnum Dei.

Opponunt secundo, locum Augustini ex Libris Quaestionum Veteris, & Novi Testamenti quaest. LIX., ubi ait: *Qui baptismum putat carnali ratione consistere, hic non est spiritualis, nec donum Coeleste poterit consequi, qui se per aquam, non per Fidem commutari credit.*

Respondet Bellarminus. Librum citatum, non esse Augustini, sed alicujus haeretici, qui multa docet & contrà Fidem, & contrà Augustinum: ut, quod mulier non sit creata ad imaginem Dei: quod Melchisedech fuerit Spi-

ritus Sanctus, & similia absurda. Sed etiamsi Liber sit admittendus; hic erit sensus citati loci: quod baptismus, non consistit in externa corporis ablutione, quales erat lustrationes Judaeorum, & Gentilium; debet igitur homo credere, se non justificari per munditiem carnis, sed per Fidem perfectam, quae infunditur in baptismo; non per Fidem inchoatam, quae ad justificationem tantum disponit, ut definit Tridentinum Sessione VI. Cap. 7.

Tertio opponunt. Per Fidem sine Sacramento salvantur multi: per Sacramentum sinè Fide salvatur nemo; ergo non Sacramentum justificat, sed Fides.

Respondeo: quod Fides, & Sacramentum in hac re, sunt ejusdem conditionis; nam sinè Sacramento in necessitate justificatur homo, si habeat Fidem, Poenitentiam, & Votum Sacramenti: Infantes vero sine Fide actuali, per Sacramentum salvantur; & sicuti adulto, non prodest Fides, si Sacramentum respuat: Utrumque igitur concurrit ad justificationum, sed Sacramentum, ut causa, Fides verò, & Poenitentia, ut dispositio.

PRO-

PROPOSITIO TERTIA.

Quaedam Sacramenta inscribunt Animae suscipienti characterem.

QUotquot sunt Romanae Ecclesiae hostes novissimi, concordes in hoc sunt, ut negent, ullum characterem per aliquod Sacramentum imprimi. Ita Calvinus, Kemnitius, Tilmannus Heshusius, Dallaeus, ceterique, secuti primogenitum Diaboli, Johannem Wicleffum; qui in Dei messem superseminavit zizania: putant autem, hoc esse novitium dogma inter Christianos: in scripturis enim, & Patribus altum de eo silentium; sed primum hujus inventi autorem, fuisse Innocentium III. Qua in re impudentissimè mentiuntur; nam idem Pontifex in Cap. *Majores §. idem quaeritur de baptismo*; refert, quosdam opinari, Sacramenta etiam invitis validè conferri, quoad characterem, quam tamen ipse sententiam improbat; ergo non ille characterem excogitavit. Ego quaestiones Scholasticorum, an character sit relatio, an qualitas, quodnam sit officium characteris, aliaque ejusmodi, ipsis abrenuntio; tantum quod Fidei Caput est, demonstrare satago,

Probatur veritas Catholica: primo ex illo ad Ephesios IV. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem Redemtionis.*

nis . Dies autem Redemptionis, eſt dies Regenerationis , ſeu Baptiſmi ; unde Chryſoſtomus Homilia II. in eandem Epiſtolam inquit: *Signati ſunt etiam Iſraëlitae ; ſed circumciſionis nota, ut pecora : nos autem , ut filii , ſignati ſumus Spiritu Sancto.*

Secundo , probatur ex verbis ejuſdem Apoſtoli II. ad Corinthios I. : *Qui unxit nos Deus, & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris* . In Chriſmatis enim Sacramento, ungimur, ſignamur ; quia Deo conſecramur , quod Sancti Patres vocant paſſim ſignum , & ſigillum; cui reſpondet Graeca vox character ; & accipimus pignus Spiritus , hoc eſt teſtimonium bonae conſcientiae , quod eſt quaſi arrha futurae gloriae . Hoc autem praedixiſſe videtur Deus per Iſaiam Cap. LXVI. , quum ait : *Omnes gentes , & linguae venient , & videbunt gloriam meam , & ponam in eis ſignum , &c.*

Accedunt Sancti Patres . Dionyſius Areopagita de Eccleſiaſtica Hierarchia Cap. II. §. 1. ait ; *Baptiſmum habere characterum imagines* . S. Auguſtinus Epiſt. CIV. ad Donatum : *Et vos oves Chriſti eſtis , characterem Dominicum portatis in Sacramento , quod accepiſtis* . S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catheche ſi IV. : *Spiritus Sanctus tempore Baptiſmi , animam tuam obſignat* . S. Ambroſius Lib. I. de Spiritu Sancto Cap. 6. ; Baſilius , Nazianzenus , Epiphanius , aliique, quorum teſtimonia ſatis ſunt ad retundendam Proteſtantium perverſitatem , qui novitatis nos inſimulare audent.

Tertio probatur argumentis . Baptiſmus con-

confert aliquid, praeter gratiam: nam qui baptizatur ab haeretico, & cum eo communicat, non habet veram Fidem, nec justificatur; valet tamen ejus Baptisma, etiam juxtà Sectarios. In quo igitur valet? non in justitia, quam ità baptizatus non acquirit; non in actione exteriori, quia haec etiam reperitur in eo, qui indignè sumit Eucharistiam, nec tamen vere communicat; ergo per baptismum aliquid in anima imprimitur, quod vocamus characterem.

Praeterea Baptismus, & Ordinatio repeti non possunt, alia Sacramenta possunt; illa igitur semel sumpta remanent, ista non remanent; at non possunt remanere in se, quia sunt actiones transeuntes, remanent igitur in suo effectu; at non in effectu gratiae, quae facilè ammittitur; ergo in alio effectu indelebili, qui dicitur character.

Neque dicat Calvinus: quod Baptismus est initiatio Fidei, & ingressus in Ecclesiam, & sicuti unus est Deus, in quem credimus, una Ecclesia, in quam ingredimur, ita unus baptismus. Contrà enim: quia, qui baptizantur in haereticorum communione, non initiantur ad Fidem, neque intrat in veram Ecclesiam, tamen semel baptizati, non rebaptizantur. Item; si Fidelis discedat ab Ecclesia per Apostasiam, debet iterum in eam ingredi ad salutem; at non iterum baptizari. Denique Ordinatio, non est ingressus in Ecclesiam, nec iterari potest. Certè Augustinus utriusque rationem, repetit à charactere: sic enim ait Lib. II. contra Epistolam Parmeniam: *Utrumque enim*

Sacra-

Sacramentum est, & quadam consecratione homini datur; illud quum baptizatur, istud quum ordinatur, ideoque in Catholica utrumque non licet iterari.

Quod si opponant: nos ipsos explicare non posse, quid sit character, & quomodo possit quid in anima insculpi, quasi in cera, vel ligno. Hinc alii putant characterem esse accidens spirituale, quod inhaeret intellectui, alii quod inhaereat voluntati, alii in ipsa substantia animae. Respondeo: nos non teneri scire, quid sit character, sed tantum fateri, illud existere, & per aliqua Sacramenta conferri; quemadmodum nemo tenetur scire, quo pacto Verbum humanam naturam assumpserit; quomodo Corpus Christi sit in Eucharistia; satis enim est illa credere. Et quamvis nos moneat Princeps Apostolorum Epist. I. Cap. 3., ut parati semper simus ad satisfactionem omni poscenti nos, rationem de ea, quae in nobis est, spe: Tamen hoc faciendum est ex principiis Fidei, non ex Metaphysica.

Ità S. Augustinus, quum urgeretur à Pelagianis de propagatione peccati originis in posteros; ait libro de Peccatorum Meritis, & Remissione III. Cap. 4. *Ego etiam, si istorum argumenta solvere non valeam; video tamen inhaerendum esse Divinis Literis*. Et Epist. XXIX. ad Hieronymum ait: se, quum interrogaretur, quomodo Adami culpa in posteros traducatur, respondere solitum: *hoc, ut alia multa, me ignorare confiteor*. Ceterum, sicuti anima hominis corporea non est, & tamen Deo volente

te igne torquetur; ità licet cerea non sit, poterit Dei nutu charactere aliquo signari: scimus enim posse Deum infinita facere, quae mens nostra assequi minimè potest.

CAPUT SECUNDUM

De Baptismo.

VEterum errorum larvas, hoc loco non refellere tantum, sed etiam recensere piget, ut Manichaeorum, qui aquam à Baptismo excludebant, utpotè creaturam Diaboli. Jacobitarum, qui parvulorum frontibus ferrum candens admovent, & cauterium inscribunt, quod dicat Johannes: Christum baptizaturum in Spiritu Sancto, & igne; quod etiam de Abissiynis refert Marcus Polus Lib. III. Cap. 38.: & de Georgianis Petrus Bizarus rerum Persicarum Lib. X. Flagellantium, qui baptismum aquae, mutatum dicebant in baptismum Sanguinis, ut scribit Alphonsus de Castro. Satis negotii habemus à vivis haeresibus; non est opus cum mortuis colluctari.

Lutherus in colloquiis Symposiacis Cap. XVII. interrogatus, an liceat per aquae inopiam, baptizare vino, vel lacte, respondit: *quidquid venit balnei nomine, esse ad baptismus idoneum.* Dignum, scilicet, temulento homine judicium. Ceteros Protestantes, modestiores fuisse videmus, & ab his ineptiis temperasse. Quid enim Sacra Pagina habet expressius? Ex aqua, & Spiritu Sancto, Johannis III. Mundans eam lavacro

vacro aquae. Ad Ephesios V., & in Prophetis: *Effundam super vos aquam mundam*, Ezechielis XXXVI., & alibi.

Quod autem Siricius Papa pronunciaverit, posse aliquem in vino baptizari; jam falsum esse ostendit Antonius Augustinus Lib. 1. de Emendatione Gratiani Dialogo 15., ubi ait: sententiam illam ab aliquo Semipelagiano profectam. Sed de Stephano II. fertur, quod in Conventu Charisiaco apud Francos, consultus de hac re, ità responderit Canone II. Si in vino quis; propterea quod aquam non inveniebat, omninò periclitantem infantem baptizavit, nulla ei exinde adscribitur culpa, infantes sic permaneant in ipso baptismo. Recitat Balusius in Notis ad Antonium Augustinum loco citato; extat quoque in Tomo XVII. Conciliorum. Gonsalez in Caput V. de Baptismo respondet: Stephanum ità consuluisse, non uti Pontificem, sed uti privatum. Theophilus Rainaudus Tomo X. in avrea corona Romani Pontificis veritate septima, ait: non esse de hoc laborandum, quum non sit exploratum à Pontifice manasse, vel Canonem, qui refertur esse integrum; quia ejus fides uni tantum manuscripto nititur, quod reperitur in Monasterio quodam in Gallia. Vide Patrem Arduinum, integra dissertatione, de Baptismo in vino.

De forma, conveniunt nobiscum Protestantes; licet nos, verba illa necessaria esse putemus; illi non item. Verum si ablutio necessaria etiam erit verborum prolatio, uno enim mandato utrumque continetur; *baptizantes eos*

in

in nomine Patris &c. Matthaei XXVIII. Novissime extiterunt, qui dicerent; valere Baptismum solâ invocatione Sanctae Triadis, etiamsi omitteretur, *Ego te baptizo*. Quam sententiam proscripsit Alexander VIII.: nam licet citata Scripturae verba, non cogant nos dicere: *Ego te baptizo*, sicuti ex illis, *Docete omnes gentes*; non cogitur Concionator dicere, Ego te doceo: tamen Ecclesiae Traditio, atque autoritas omnem eximit dubitationem. Quum enim in Gallia mos inolevisset, ut Laicus in necessitate baptizans, tantum in aquam mergeret, dicens: *In nomine Patris*, &c. omissis verbis, Ego te baptizo; forsitan modestiae causa reservans ea Presbyteris, Ministris Ordinariis: Alexander III. rescripsit Pontio, Episcopo Claramontano, *Baptismum irritum esse* Cap. 1. de Baptismo: idemque confirmatur in omnibus Cathechismis, & Ritualibus, vel antiquissimis. De Ministro, est quod contrà Calvinum disputemus.

PRO-

PROPOSITIO PRIMA.

In necessitatis articulo potest Laicus, etiam Foemina baptizare.

CAlvinus Libro IV, Institutionem Cap. 15. §. 20. novum fabricatus est Dogma; non posse aliquem baptizare, nè in necessitate quidem, nisi fuerit Ordinarius Ecclesiae Minister, ad hoc munus vocatus, & ordinatus. Non satis tamen aperte explicat, inquit Bellarminus, an existimet, baptismum non esse ratum; an verò ratum esse, sed illicite administrari.

Probatur Catholica definitio; primo, exemplo Veteris Instrumenti. Circumcisio Symbolum erat baptismi: & secundum Calvinum, idem tunc operabatur, quod nunc efficit baptismus: atqui potuit tunc mulier circumcidere, ut legimus fecisse Moysis uxorem Sephoram, quae filium circumcidit, Exodi IV.: poterit ergo nunc baptizare.

Respondet Calvinus: fuisse temerarium illum Sephorae ausum, puerum circumcidere; quum adesset Maritus, quo nemo Propheta in Israël surrexit major: quo facto, si exemplum capere possimus; licebit etiam mulierculae baptizare in oculis Episcopi.

Sed non animadvertit Calvinus, Moysem licèt adesset, non potuisse in iis, quibus premebatur, angustiis, filium circumcidere; ait enim Scri-

Scriptura: *Occurrit ei Dominus, & volebat accidere eum*; hoc est, ut exponunt interpretes: apparuit ei Angelus stricto gladio, cujus minae, non prius quieverunt, quam Sephora filium circumcidisset? quantum autem ad negotium gerendum, nihil interest, sit ne quis abiens, an impeditus.

Secundò probatur exemplis novae Legis. Ananias, qui baptizavit Saulum, erat homo Laicus, Actorum IX.: & Capite sequente; jussit Petrus baptizari Cornelium, ejusque familiam à fratribus, qui secum venerant; quos verisimile est, neque fuisse Apostolos, neque Sacerdotes. Eodem Libro Cap. II. Die ipso Pentecostes baptizati sunt tria millia virorum, quod non per solos Apostolos factum fuisse, credendum est. Discipuli autem Domini, tunc temporis, Laici erant, quum solos Apostolos Christus in novissima Coena ordinaverit Sacerdotes.

Tertio probatur Traditione. Concilium Illiberitanum, quod est unum ex vetustissimis Can. XXXVIII. definit; posse Laicum in casu necessitatis baptizare Catechumenum. Ecclesia Alexandrina, ratum habuit baptismum, qui ab Athanasio, nedum Laico, sed etiam puero, aliis pueris collatus fuerat; ex Historia Ruphini Lib. X. Cap. 14. Hieronymus Dialogo adversus Luciferianos ait: *Baptizare, si necessitas cogat, scimus etiam licere Laicis*. Tertullianus de Baptismo: *Alioqui*, inquit, *& Laicis jus est baptizandi; quod enim ex aequo accipitur, ex aequo dari potest*. Paria comperiuntur apud

Gelasium Epistola I.: Augustinum Lib. II. contrà Epistolam Parmeniani Cap. 13.: Ambrosium, Isidorum, & in Concilio Florentino, ac Tridentino.

Opponit Calvinus. In Concilio Carthaginensi IV., cui Augustinus interfuit, Canon. C. haec habentur: *Mulier baptizare non praesumat*.

Respondeo: hunc textum citari à Magistro Sententiarum, & à Gratiano in Can. *Mulier* de Consecratione Distinct. IV. cum hac adjectione: *nisi necessitate cogente*. Sed si repetant adversarii, eam esse Collectorum depravationem, quia in libris Conciliorum illa exceptio non extat, neque apud Reginonem, neque apud Burchardum, ut fatetur Balusius ibidem in notis; respondeo, quod saltem ità est intelligendum, ex verbo illo *praesumat*: nam praeter necessitatem non debet sibi sumere honorem, sed esse cum subjectione, ut praecipit Apostolus. Et sicuti idem ait: *Docere mulieri non permitto*, idque intelligitur extrà necessitatem; nam urgente causa, legimus, Priscillam exposuisse Apollo cuidam viam Domini, quam ille non probe callebat, Actorum XVIII. Ità; licèt temerè foemina baptizare non debeat, rectè tamen id faciet, suadente necessitate. Atque eodem modo respondendum est autoritati Epiphanii, quâ Calvinus abutitur, dum Haeresi XLII. inter Marcionis errores refert, quod si Canonicum esset, Christus non à Johanne, sed à Maria se baptizari maluisset.

PRO-

PROPOSITIO SECUNDA.

Infantes rectè baptizantur.

ANabaptistarum Secta, extitisse dicitur, anno 1527., sed infelicibus auspiciis: ejus enim autor Balthassar Pacimontanus, Viennae crematus fuit, ut & Anabaptista primarius, Michaël Servetus, Calvini operâ flammis absumptus Genevae. Hi putant, baptismum non esse suscipiendum, nisi anno tricesimo, quo baptizatus est Christus, vel saltem ab adultis, qui doceri prius, & baptismum petere per se possint. His sese comites dedere (improbissimum genus) Sociniani.

Nostra assertio probatur. Parvuli possunt ingredi in Regnum Dei, Lucae XVIII. *Sinite parvulos venire ad me; ipsorum enim est Regnum Coelorum.* Quod etiam patet exemplo Innocentium, quos semper Ecclesia pro Sanctis habuit. At: *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei,* Johannis III.; ergo parvuli possunt baptizari. Insuper extrà Ecclesiam nemo salvatur; ut enim perierunt omnes, qui non erant in Arca Noë, sic pereunt omnes, qui non sunt in Ecclesia, ex Hieronymo in Epistola ad Damasum; & Cyprianus Libro de Unitate Ecclesiae; *Non habet Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam Matrem.* Sed non est ingressus in Ecclesiam, nisi per Baptismum; ergo parvuli, ut in Ecclesia censeantur, sunt baptizandi. Hinc in Veteri Ec-

clesia, distincti erant, & nomine, & gradu Fideles à Cathecumenis; unde Missa Cathecumenorum, & Missa Fidelium: quâ de re vide Emmanuelem Schelstrate in Canonem II. Concilii Antiocheni Capite 5.

Adde constantissimam Ecclesiae Traditionem. Origenes in Cap. VI. ad Romanos scribit: *Ecclesia ab Apostolis Traditionem accepit, etiam parvulis dare baptismum*. S. Augustinus Lib. IV. de Baptismo Cap. 24. ait; *hanc esse Apostolicam Traditionem*; ita ut Pelagiani non fuint ausi negare parvulorum baptismum, quod videbant, si id negarent, nimis apertè pugnandum fuisse cum tota Ecclesia.

Ad fugiendam autem prolixitatem, missa facio testimonia Justini, Dionysii Areopagitae, Basilii, Chrysostomi, Nazianzeni, Prosper, Cypriani; adde etiam Concilium Milevitanum Can. II., ubi Augustinus adfuit, apud Gratianum in Can. *Placuit* XV. de Consecratione distinct. 4. *Placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, anathema sit*. Concilium Carthaginense V. in Can. 109. eadem distinctione; Concilium Gerundense Can. V., Bracarense II. Can. 7., Viennense Oecumenicum in Clementina I. de Summa Trinitate, atque alia.

Opponunt Anabaptistae. Christi mandatum est: *Docete, & Baptizate*, ergo docendus prius est homo, quam baptizandus: at infantes doceri non possunt; ergo nec baptizari.

Respondeo: hoc à Romana Ecclesia servari, quum potest: nimirum in adultis; qui non ba-

baptizantur, nisi instructi: ubi enim est peccatum actuale, est actualis aversio à Deo, quae emendari debet per actualem conversionem; itaque adultus, qui habet peccata actualia, quae commisit per abusum libertatis, non justificatur à Deo, nisi & ipse concurrat, rectè utendo libertate: infantes verò neque peccatum actuale habent, neque usum arbitrii, propterea nec doceri possunt, nec ad Deum converti; sed quia peccaverunt alienâ voluntate, prodest eis aliena voluntas, & quia eorum culpa habitualis est, non actualis, per habitum caritatis infusum, justificantur. Quamobrem nisi volumus cavillari; ordo ille habet exceptiones, & quam utrumque adimpleri nequit, hoc est doceri, & baptizari, aliquando baptizatur tantum, ut infans, & furiosus; aliquando docetur tantum, ut si quis, ubi nulla esset aquae copia, Paganum videret morientem, satis enim esset docere, & baptismi desiderium in eo excitare.

Opponunt item Tertullianum, in Libro de Baptismo Cap. XVIII. ubi consulit: Baptismi dilationem, ut pro cujusque conditione, ac dispositione, etiam aetate, cunctetur baptismum accipere. Idem consulit Nazianzenus in Sermon. de Baptismo, qui & ipse, licet Patre Episcopo, Matre religiosissima natus esset; tamen baptizatus est circà annum aetatis decimum septimum; hinc Ludovicus Vives in Notis ad Augustinum de Civitate Lib. 1. Cap. 27., ait; *olim neminem baptizari consuevisse, nisi adulta aetate, & qui per se peteret baptismum, & intelligeret, quid sit baptizari.*

Respondeo: Nazianzenum optasse tantum, ut infantes jam trimi baptizarentur, ut aliquo modo responderent: excipit tamen periculum mortis, quod probat exemplo Circumcisionis, aliisque argumentis; quod autem attinet ad usum rationis, nihil interest, an puellus sit trimus, an sit unius diei. Autoritas igitur Nazianzeni, nihil favet Anabaptistis. Adde, quod consilium illius, non est probatum Ecclesia, & reliquis Patribus; nam utilitas respondendi, non est comparabilis cum periculo ejus aetatis, quae repentinis casibus est magis obnoxia. Ceterum in adultis, non dubito differendum quandoque baptismum: quo sensu intelligendus Tertullianus, ut & olim in Cathecumenis observatum est. Porrò, quid dicat Vives, nil nobis curae est, qui quod in notis ad citatos libros, saepe falsus sit, Pontificià notatus est censurâ, ejusque lectio prohibita.

CAPUT TERTIUM

De Sacramento Chrismatis.

COntestatum est Dogma, inter omnes nostri temporis Sectarios, Confirmationem non esse proprium, & speciale Sacramentum, sed caeremoniam utilitèr ab Ecclesia introductam. Contendit autem Salmasius, ipsum nomen *Confirmationis*, novum esse, neque ullum veterum Patrum Latinorum usum fuisse in hac caeremonia, verbo *Confirmandi*; neque Graecos habere ullum, quod huic Latino respondeat:

Vete-

Veteres usos verbo *Consignandi*, non *Confirmandi*; quod in Primitiva Ecclesia solà manuum impositione celebratur; eratque perfectio Baptismi. Contrà hunc, disputat Petavius Lib. I. de Ecclesiastica Hierarchia, Capite primo, & nos inferius.

Martinus verò Kemnitius, Parte II. Examinis Concilii Tridentini, secutus Calvinum, docet, neminem antiquorum Patrum fecisse mentionem olei; immò nec ex media illa aetate, quae jam multis viriis abundabat; vocat autem, per contemptum, Chrisma, *Cyrilleum*, quasi à Cyrillo profectum, & Chrisma excantatum, propter olei benedictionem. Sed in hoc turpissimè mentiuntur; nam Tertullianus Scriptor pervetustus, de eo mentionem habet; ait enim in Libro I. contrà Marcionem: *ille, neque aquam Creatoris respuit, quâ suos abluit; neque oleum, quo suos ungit.* Saepe etiam ejus meminerunt, S. Augustinus Libro V. contrà Donatistas Cap. 20., Cyprianus, aliique.

PROPOSITIO UNICA.

Chrisma est verum, ac proprium Sacramentum.

IN hac controversia, deficimur apertis Scripturae testimoniis: symbolica verò afferre, est tempus frustrà insumere. Ad Traditionem igitur confugiendum, quam juvat, contrà Protestantium morsus, in I. Libro viriliter propugnare. Adeo autem verum est, sola Ecclesiastica testimonia in hanc rem advocari posse, ut propterea lapsi fuerint antiquiores quidam Theologi; putantes, hoc Sacramentum fuisse ab Ecclesia institutum. Ita Hugo de Sancto Victore, Petrus Lombardus, Alexander de Hales, Gabriel, & Bonaventura.

Constat autem Catholica Fides, in hoc articulo, omnibus, quotquot sunt, Traditionis argumentis. Concilium Laodicense antiquissimum Can. XLVIII. ità decernit: *Oportet, Baptizatos Sacratissimum Chrisma percipere, & coelestis Regni participes fieri*. Concilium Arelatense I. sub Sylvestro, statuit, Canone VIII., ut si haeretici ad Ecclesiam redeuntes, baptizati fuerint in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nè iterum baptizentur, sed accipiant Spiritum Sanctum per manus impositionem Episcopi. Idem habetur in Concilio Meldensi; Hispalensi II. Constantinopolitano III. Oecumenico, ut & Florentino in Instructione Armenorum, & Triden-

dentino Sessione VII. de Confirmatione, Canone I.

Ex Patribus tum Graecis, tum Latinis, quorum Cathalogum longiusculum, pertexit Bellarminus, paucos eligam, qui rem tradunt apertius. Cyrillus Jerosolymitanus, scripsit quinque Catecheses mystagogicas; duas priores de Baptismo, tertiam de Confirmatione; duas ultimas de Eucharistia, quae tria Sacramenta eodem die à Neophytis suscipiuntur. Ibi autem docet; *quod sicuti Christus primò baptizatus est, mox descendit in eum Columba, deindè tentatus est à diabolo: ità Christiani primò baptizantur, postmodum Chrismate, Spiritum Sanctum accipiunt, ut armati, ad pugnam cum Sathana descendant.* Eoque etiam refert, illud I. Johannis II. *Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis.*

Sanctus Cyprianus Lib. I. Epistolarum ultima, scribit: *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus est, ut accepto Chrismate esse unctus Dei, & habere in se Christi gratiam possit.* Et Libro II. Epistolà I.: *Tunc demum plene sanctificari, & esse filii Dei possunt, si Sacramento utraque nascantur.* Quibus verbis, nihil est clarius. Nè verò quis calumnietur, Cyprianum ibi agere causam rebaptizationis; nam licèt hoc semper Ecclesia damnaverit in Cypriano, nunquam tamen reprobavit, quae de Confirmatione, ejusque ritu, & effectu scripsit, ut videre est apud Sanctum Augustinum Lib. V. de Baptismo; ubi Cyprianum refutat, quantum ad anabaptismum, minimè verò quantum ad Confirmationem.

S.Hie-

S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, postquam dixit, Episcopos per impositionem manuum dare Spiritum Sanctum, subdit: *Exigis, ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum. Sed etiamsi Scripturae autoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem consensus, instar praecepti obtineret*. S. Augustinus Lib. II. contra Literas Petiliani Cap. 104. *In hoc unguento Sacramentum Chrismatis vult Petilianus interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.* Cumulari possunt Ambrosius, Theodoretus, Nazianzenus; tum veteres Pontifices innumeri, quos brevitatis studio praeterimus.

Non ignoravit Calvinus, Traditionem hanc cum ipsa Ecclesia natam esse; sed perfidiae suae praesidium quaerens, ait Lib. IV. Institut. Cap. 19. §. 12. *Jam verò cum verbo Dei, & probabili ratione deftici se vident, praetexunt, quod solent; vetustissimam esse hanc observationem, & multorum saeculorum consensu firmatam. Etiam si id verum esset, nihil tamen efficiunt. Non è terra est Sacramentum, sed è Coelo: non ex hominibus, sed ab uno Deo*. His verbis, Sicophanta maximus prodit, & stoliditatem suam, & animi pravitatem; neque enim dicimus, Sacramentum è terra esse, vel ab hominibus; sed illud à Deo institutum esse, probamus humano testimonio Sanctorum, quibus in rebus sacris, Fides non est abroganda, nisi ab impio, & qui Calvini sit similis; maximè quum Patres, non ex sua sententia haec dicant, sed ex Scriptura, & Apostolorum doctrina, se hausisse fatentur.

Kem-

Kemnitius, ad elevandam vim nostri argumenti, ait: multos Sanctorum Patrum Libros, qui in hanc rem à Catholicis citantur, esse suppositititios; in primis verò Epistolam Melchiadis Papae, Eusebii, Urbani, & aliorum. Sed de his non disputo, nec propterea citavi, nè à Dogmatica, in Criticam transilirem. Scio Dionysii Areopagitae Opera à plerisque non recipi, ut nec Homilias Eusebii Emisseni, idcirco ab his abstinui. Quod autem dicat, Cyprianum fuisse Montanistam; hoc maledictum, in Sanctissimum Martyrem, est Christiano homine prorsus indignum. Sed etsi fingas, Montanistam fuisse, ut fuit Tertullianus, cujus etiam aliquot loci solent afferri pro hoc Sacramento, ex Lib. de Baptismo, de Rusurrectione carnis, & primò contrà Marcionem; quid postea? nemo unquam ex omnibus, qui Montani errores recensuerunt; Epiphanius, Eusebius, Clemens Alexandrinus, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, hunc illi errorem attribuit, quod Chrisma Sacramentum esse putarit; licet igitur hoc Montanus docuerit, vel ex ipso, Tertullianus, & Cyprianus didicerint; non deberent ideo rejici, quum non omnes Montani sententiae sint erroneae.

Pergit modo Kemnitius, aitque: Patres multum diversè loqui à recentioribus; illi enim inculcant manuum impositionem, quae nunc abolita est. Sed hoc esse falsum, ostendit Pontificale Romanum; ubi Episcopus bis manus imponit Confirmandis, semel quum super eos manus extendit, atque orat; rursum quum si-

gnat

gnat in fronte, atque ungit; qui enim hoc facit, etiam manum imponit. Sic rogatus Christus, imponere manum Surdo, & muto; misit digitos suos in auriculam ejus, & expuens, tetigit linguam, Marci VII.

Addit praeterea: nullum ex probatis autoribus mentionem facere balsami, quod nos oleo admiscemus. Atqui, probatus autor videri potest, Gregorius Magnus, qui in Caput I. Canticorum ait: *In vineis Engaddi balsamum nascitur, quod cum oleo Pontificali, benedictione, Chrisma efficitur; Que doni Sancti Spiritus exprimuntur.* Nihil dicam de Innocentio III. in Cap. *Quum venisset*, de Sacra Unctione: de Synodo Florentina, de S. Thoma; hi enim sordent Protestantibus. Non utar testibus, quos Bellarminus advocat, Areopagitâ, Clemente Romano, Fabiano Papa, Cypriano in Libro apocrypho, de Unctione Chrismatis; scio enim eos, sibilis à Sectariis excipi. Tantummodo subjiciam, hanc esse etiam inter nostros Theologos controversiam; an balsamum sit adhibendum ex institutione Christi. Sotus enim, & Valentia censent, esse ex institutione Ecclesiae, ut non sit, adeo contra balsamum, propterea declamandum.

Denique ait: veteres adnexisse unctionem baptismo, nos verò separare, quasi essent duo Sacramenta. Sed in hoc miserè alucinatur: nam veteres solebant etiam Eucharistiam dare baptizatis eodem die, quo Sancto Lavacro regenerabantur. Nemo tamen negavit unquam, Eucharistiam à Baptismo diversum esse Sacramentum. Et hoc apud nos, etiam usu servatur,

tur, ut quum baptizantur adulti, simul & Chrisma suscipiunt, & Eucharistiam: infantibus vero, non statim, sed ad tempus differuntur, quia quum non sint Sacramenta absolutè necessaria, decentius iis, qui usum habent rationis, administrantur.

CAPUT QUARTUM

De Eucharistia.

Controversia de existentia veri Corporis, & Sanguinis Christi in speciebus consecratis, est inter nostrae, & superioris aetatis haereticos, maximè vexata; itaut de Pane Eucharistico verè dici possit, quod ait Propheta: *Circundederunt me canes multi*. Ut autem res ab origine reputatur, admonendi sumus; primos qui in hoc Sacramento praesentiam Christi realem negaverunt, fuisse videri Graecos Jconoclastas, qui in Conciliabulo quodam Constantinopoli habito, sub Leone Isaurico, dixerent unam tantum esse Christi imaginem ab ipso institutam, panem scilicet, vinumque consecratum. Hic autem error damnatus est in Synodo Oecumenica VII. hoc est, Nicaena II. sub Constantino, & Irene, anno Christi 781.

Tempore Caroli Magni, circà annum octingentesimum, in eodem coeno haesit Johannes Scotus; cujus liber in Concilio Vercellensi damnatus fuit, & autor, discipulorum graphiis confessus, ut tradit Petrus Crinitus in Libro de Honesta Disciplina. Deinde Berengarius Archi-

chidiaconus Andegavensis, circa annum 1050. homo eruditionis expers, at logicis captiunculis ex animo deditus, eundem errorem, magno studio, & contentione per Gallias disseminare instituit. Contrà hunc scripsere, Lanfrancus, Guitmundus, & Algerus aequales sui, ipseque non semel coactus palinodiam canere, in Concilio Turonensi sub Victore II., & Conciliis Romanis sub Nicolao II., & Gregorio VII., cujus formula retractationis legitur apud Gratianum in Can. *Ego Berengarius*, de Consecrat. Distinct. II.

Ex Origene, complures locos in subsidium, advocant Sacramentarii; sex enim profert Petrus Martyr, in Libro contrà Gardinerum, inter quos illum magni facit, ex Homilia VII. in Leviticum: Si secundum literam sequaris hoc, quod dictum est: nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, occidit haec litera. Verum Origeni, quam parum sit fidendum, saepe alibi inculcavimus: in hoc autem articulo, ait Cardinalis Perronius Lib. II. de Eucharistia Cap. 35. omni prorsus autoritate carere; quippe, qui Sacramentum Eucharistiae, nequaquam verè esse Christi Corpus affirmaverit. Vide etiam Arnaldum in Libro de Perpetuitate Fidei Eucharistiae, Parte II. Capite quinto.

Tertio opponunt partem Canonis Missae, ex S. Ambrosio Lib. IX. de Sacramentis Cap. 5. *Fac nobis hanc oblationem adscriptam, rationabilem, acceptabilem, quod est figura Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi: qui pridiè quam pateretur, &c.* Item in Liturgia S. Basilii appellatur Eucharistia Antitypon, hoc est figura Corporis Christi.

Quod attinet ad citatos Ambrosii libros, dubitat Arnaldus, in Libro de Frequenti Communione, Parte I. Cap. 13., an sint Ambrosii. Sed respondeo eodem modo ad utramque autoritatem: quod Eucharistia est figura, & Antitypon, quatenus Corpus, & Sanguis Christi

sub

sub speciebus latens, est repraesentatio ejusdem Corporis & Sanguinis, prout fuerunt in Cruce. Fuit enim Christus interdum figura sui ipsius; ut quum triduo latuit, post tertium diem inventus est in Templo: fuit sui ipsius typus, quod triduò sepultus; deinde erat surrecturus, ut idem Ambrosius exponit in Caput II. Lucae. Sic in Transfiguratione coram Prophetis, & Apostolis significavit, se in gloria videndum, à Beatis utriusque Legis.

Quarto opponunt Chrysostomum in Epistola ad Caesarium Monachum, ibi: *Antequam sanctificetur panis, panem nominamus: Divina autem illum sanctificante gratia, mediante Sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis; dignus autem habitus appellatione Dominici Corporis est, etsi natura panis in eo permanserit.*

Respondet Bellarminus: nihil ejusmodi unquam scripsisse Chrysostomum: neque enim in toto Chrysostomi opere, ullus est Liber, vel Epistola ad Caesarium; testimonium igitur citatum, incertum est, & nullius autoritatis. Et sanè; quomodo potuit illa scribere Chrysostomus? qui Lib. III. de Sacerdotio, ait: *O Miraculum! O Dei benignitatem! Qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo, omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit volentibus illum excipere, ac complecti.*

Ex eodem Chrysostomo, objiciunt locum ex Commentario Psalmi XXII., ubi legitur: *Ut quotidiè in similitudinem Corporis, & Sanguinis Christi, panem, & vinum, secundum ordinem Melchisedech, nobis ostenderet in Sacramento.*

to. Sed hunc Commentarium, Chrysostomo abjudicat Bellarminus, ajens: *neque Chrysostomi esse, neque Graeci hominis; phrasis enim Latina est, & tum res, tum verba longissimè absunt à scriptis Chrysostomi*. Respondeti tamen potest; quod dicitur in Sacramento, panem, & vinum non esse, sed ostendi; hoc est, secundum speciem sensibilem, & externam; quemadmodum in Scriptura serpens aeneus, dicitur serpens, & Angeli sub humana forma, dicuntur homines. Quomodo autem dici possit, Eucharistiam esse similitudinem Corporis, & Sanguinis Christi, jam declaravimus in responsione ad oppositionem tertiam.

Ex eodem S. Doctore, alius adversus Catholicos profertur locus, Homilia II. in Matthaeum, illis verbis: *Si ergò haec vasa sanctificata, ad privatos usus transferre, sic periculosum est, in quibus non verum Corpus Christi, sed mysterium Corporis ejus continetur: quantò magis vasa Corporis nostri, quae sibi Deus ad habitaculum praeparavit, non debemus locum dare Diabolo agendi in eis, quod vult.*

Respondeo cum Bellarmino: Opus Homiliarum imperfectum, unde sumptum est allegatum testimonium, certum est, non esse Chrysostomi, & in omnium sententia, scatere innumeris erroribus, ut notavit Erasmus in Praefatione ibidem, & fatetur ipse Petrus Martyr. Verba autem illa: in quibus non est verum Corpus Christi, sed mysterium corporis ejus continetur; inserta videntur citatae Homiliae, ab aliquo Berengarii discipulo. Primò: quia

non

non extant in omnibus exemplaribus, ut ibidem in margine notatur. Secundò, non faciunt ad rem; etsi auferantur, sensus manet incolumis; Autor enim agebat de vasis Sacris, quae prophanavit Balthassar, undè Regnum, vitamque amisit; in illis autem vasis, neque Corpus erat Christi, neque mysterium ipsius. Denique recte animadvertit Xistus Senensis Lib. IV. Bibliothecae Sanctae; in eo libro reperiri errores diversissimorum haereticorum, ut Montani, Donati, Manichaei, Arii, Pelagii, Berengarii, qui saepe etiam secum pugnant: quod gravissimum est argumentum, illa omnia non esse ejusdem autoris, multo minus Chrysostomi, in quo & Catholica doctrina, & morum probitas summopere excelluerunt.

Quinto opponunt ex Augustino locum, in Libro adversus Adimantum Manichaeum Cap. XII., ubi disputans de eo, quod dicit Moyses, *sanguinem pecoris, esse ejus animum*, ait: *Possum interpretari, praeceptum illud in signo esse positum: non enim Dominus dubitavit dicere, Hoc est Corpus meum, quum daret signum Corporis sui; non est quod tergiversemur.*

Respondet Petrus de Marca, in Opusculo Latino de *Eucharistia*: Patres Africanos, ut supra etiam in Tertulliano observavimus, duas agnovisse explicationes formulae, *Hoc est Corpus meum*; unam quae recepta erat ab Ecclesia universali, nempe hunc panem consecratum, esse Corpus Spirituale, & Divinum; seu carnem invisibilem, promissam à Christo apud Johannem. Alteram: panem consecratum, prout con-

constat ex speciebus, & carne invisibili, esse signum Sacramentum, vel figuram Corporis visibilis. Hinc Augustinus, sic explicavit formam, ut per vocem Corpus, significaretur Corpus Christi visibile, mox tradendum Cruci; & hoc sensu, panis est signum illius Corporis, non autem est illud Corpus; eadem est responsio adhibenda ad eundem Augustinum in Commentario Psalmi III. ubi ait: *Christus adhibuit Judam ad convivium, in quo corporis sui figuram, Discipulis commendavit.*

Probabiliter etiam, respondet Bellarminus: quod Augustinus loco citato, non intelligit nudum signum, sed cum quo re ipsa, conjuncta sit res significata: quum enim dicat, sanguinem esse in Anima, tamquam in signo; constat, Sanguinem esse signum animae praesentis, non absentis; aliter enim Sanguis est signum animae, aliter statua signum est Principis. Unde idem Augustinus quaest. 57. in Leviticum, docet; animam dici esse in sanguine, quia sanguine anima continetur; sic igitur, sanguis animam significat, ut simul eam contineat, & cum ea sit conjunctus; quo sensu, Eucharistiam esse signum Corporis Christi, nemo Catholicus inficiabitur.

Aliud ex Augustino objiciunt, in Commentario Psalmi XCVIII., ubi haec habet: *Non hoc Corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum Sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent; Sacramentum aliquod commendavi vobis, &c.* Olim Berengario hac autoritate abutenti, respondit Lanfrancus. Corpus Chri-

sti

sti, prout erat crucifigendum, & Sanguis Christi, prout erat effundendus: cum corpore, prout erat manducandum: & Sanguine, prout erat bibendum, fuisse idem, & non idem: idem quoad substantiam, non idem quoad modum, speciem, & qualitatem: illud enim erat praesens sub specie mortali, & visibili, hoc vero impassibile, & invisibile: quo etiam sensu accipiendus est Sanctus Hieronymus in Cap. I. ad Ephesios, dum ait: aliam fuisse carnem in Cruce, aliam esse in Eucharistia.

Sexto: Theodoretum nobis opponunt, in quo sibi planè triumphum canunt. Primo, quod dicat quaest. 53. in Genesim: *Summam esse insaniam adorare, quod comeditur*. Quae sententia eadem esse videtur cum illa Ciceronis Lib. II. de Natura Deorum, ubi ait: *Ecquem tam amentem esse putas, qui illud, quo vescatur, Deum credat esse*? Paria sunt, quae de Averroë narrat Cardinalis Perronius Lib. III. de Eucharistia Capit. 29. ex Petro Scarga Jesuita; illum, scilicet, jactare solitum, se Christiana secta deteriorem, aut ineptiorem nullam reperire, cujus Sectatores suum, quem colunt, Deum, dentibus discerpunt, & devorant. Idem Theoretus quaest. II. in Leviticum inquit: *Neminem sanae mentis, Deum esse nuncupaturum; quod vero Deo oblatum, ipse etiam comedit*.

Praeterea ex Dialogis ejusdem, alias objectant sententias. Ex Dialogo I. haec verba: *Qui quod natura corpus est, frumentum, & panem appellavit, is visibilia symbola Corporis, & Sanguinis sui appellatione honoravit; non natu-*

ram mutans, sed gratiam naturae adjiciens. Ex Dialogo II. haec aia: *Neque mystica symbola post Sanctificationem à natura sua discedunt: manent enim in priore substantia, & forma, & visibilia, & palpabilia sunt, qualia prius erant*. Quae tanti aliquibus visa sunt etiam Catholicis, ut existimarint, Theodoretum à Transubstantiationis Fide alienum fuisse. Ità Gardinerus, Alanus, Gamacheus, aliique.

Sed, quod attinet ad primum, respondeo: Theodoretum intelligi de Aegyptiis, qui divinitatem quandam agnoscebant in rebus, quas passim comedebant, ut in porris, & coepis, quod scilicet crescendi, & minuendi vices haberent Lunae contrarias, de quibus, aliisque similibus Aegyptiorum superstitionibus, videri potest Diodorus Siculus Libro I.; undè eos salsè ridet Juvenalis Satyra XV.

O Sanctas gentes, quibus haec nascuntur in hortis

Numina . . . .

quae nobis insania adscribi posset, si utique crederemus, panem ipsum esse Deum. At quod Christus sit Deus homo, quod ut homo habeat corpus, quod virtute Divinâ panis mutetur in Corpus Christi; nihil habet, quod Divinae Omnipotentiae, aut rationi repugnet. Quod verò Deus voluerit se hominem communicare per modum cibi, id ejus Majestatem non imminuit, quippè cujus Corpus, neque dentibus frangitur, neque discerpitur, utpotè impassibile, atque immortale: nec, qui alitèr sentit, ultrà sensum sapere, vel sanum de

Deo

Deo conceptum habere videtur. Facessant igitur impii cum suis dicteriis.

Ad secundum dico; Theodoretum loqui de Symbolis, hoc est speciebus, ut verba monstrarent; quum igitur ait; *non naturam mutans*, intelligitur de natura specierum, quae post Consecrationem non mutatur. Verbum autem *Physis*, quod hic vertitur natura, significat etiam Graecis formam, speciem, figuram, ut ex Platone, Galeno, & aliis docet Henricus Stephanus: non mirum igitur, quod de speciebus, seu signis loquens, naturam dixerit.

Ad tertium, eadem est responsio, ait enim: mystica symbola post sanctificationem, à naturà sua non discedere, quod sponte fatemur: etenim formam, figuram, & speciem retinent, ut mox innuimus, panis & vini; nulla tamen remanente substantia Sed attendant Sacramentarii ad sequentia verba, quae ipsos jugulant: Intelliguntur autem, ea esse, quae facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quae illa sint, quae creduntur. At adorari nequit, nisi Deus, maximè secundum adversarios. Ceterum non inficior, Theodoretum obscurius esse locutum; sed hoc, de industría fecisse ipsemet testatur, ait enim: *Non oportet apertè dicere: est enim verisimile adesse aliquos non initiatos. At vero mysterium Eucharistiae, secundum Calvinum; posset sine ulla formidine aperiri quibusvis infidelibus, nihil enim, vel arduum habet, vel admirandum.*

PROPOSITIO SECUNDA

Euchariſtia eſt adoranda.

JAM ex probatis, quod in Euchariſtia ſit Corpus Chriſti, conſequens eſt neceſſarium, eam eſſe adorandam; ſiquidem Chriſtus eſt Deus: unde Clebitius in Libro de Ruina Papatus Saxonici Parte III. argumen. 9. ait: *ex ſententia Lutheranorum, qui agnoſcunt in Euchariſtia verum Chriſti Corpus, neceſſario ſequi, adorationem eſſe concedendam*. Nihilominus Lutherus cum ſuis, varius eſt in hac re, & pluma levior: nam in formula Miſſae ait: eſſe adorandam Euchariſtiam, ſed tantum in uſu Coenae; in Libro verò ad Valdenſes, ſimpliciter hanc adorationem damnat, & furioſe debaccatur contrà proceſſionem, quae fit in Feſto Corporis Domini. Quoniam igitur per inſignem veſaniam nos idololatras, & artolatras, hoc eſt panicolas, vocare non erubeſcunt; hoc etiam ipſis debemus, ut quum debitores ſimus inſipientibus, de hac re peculiariter diſputemus.

Probatur. Deus eſt adorandus: Chriſtus eſt Deus: Chriſtus eſt in Euchariſtia; ergò ibi eſt adorandus, ſivè in uſu, ſivè extrà uſum Coenae; ſemper enim; ibi eſt verus Deus. Reſpondet: Chriſtum eſſe adorandum ubi vult ſe adorari, ideſt in Coelo; in Euchariſtia autem non eſt, ut adoretur, ſed ut comedatur; non enim dixit, *Accipite, & adorate*; *ſed*, *Accipite*,

pite, & manducate. Praetereà ajunt: aliud esse Christum, aliud Corpus Christi; in Eucharistia verò esse Corpus Christi, non Christum.

Replico. Deus adoratur, quia est in Coelo, an quia est Deus? Nonne, ait David Psalmo XCVIII. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam Sanctum est*? Cur non adoranda Eucharistia, ubi non scabellum, sed ipse est Dominus? Christus adoratus fuit in Praesepio à Magis, & passim quacunque ibat, nec tamen ideo ibi erat ut adoraretur, vel jusserat se ibi adorari. Secunda verò responsio, sapit errorem Nestorii; nam Corpus, etiamsi esset sine Animi, & sine Sanguine, tamen est conjunctum hypostaticè Divinitati, ut dum jacuit in monumento; quod autem semel assumpsit, nunquam dimisit; esset igitur, etiam secundum illam impiam hypothesim, Corpus Divinum, adeoque adorandum.

Ex innumeris autem Sanctorum Patrum testimoniis, quibus Eucharistiae adoratio probari potest; duo tantum afferre satis erit, reliqua enim videri possunt apud Bellarminum. Primum est S. Johannis Chrisostomi Homilia LXI. ad Populum Antiochenum, ubi ait: *Si pura sunt vestimenta, adora, & manduca*. Secundum est S. Augustini Comentario in Psalmum XCVIII. dicentis: *Nemo illam carnem manducat, nisi prius adoraverit*.

Opponunt. Apostoli, quum primum communicarunt, non legitur, quod ullum adorationis actum exhibuerint, prostrationis,

vel adgeniculationis; igitur & nos, qui eorum exempla sectari deberemus, nullum Eucharistiae cultum, exhibere oportet.

Respondeo. Apostolos non debuisse majorem honorem exhibere Christo sub signis Eucharisticis latenti, ac eidem in forma humana visibili: non poterant autem cum Christo agere semper genuflexi, vel prostrati; potissimum verò in Coena, ubi cum ipso recumbere necesse habebant; interdum ergo proni adorabant juxta opportunitatem: de cetero mente, animoque venerabantur, agnoscentes, eum esse verum Filium Dei.

Secundò opponunt. Haec adoratio subjacet evidenti periculo idololatriae, si verbi caussa, Presbyter simulet Consecrationem, nec tamen consecret; est igitur abolenda.

Respondeo; argumentum nimis probare; abolendam, scilicet, etiam communionem, quum idem sit periculum, sumendi panem pro Christo. Sed nullum consideratur idololatriae periculum in eo, qui bona fide Eucharistiam adorat: adoratio enim praecipuè pendet ex intentione; igitur quemadmodum, qui pedibus conculcaret panem non consecratum, putans esse consecratum, gravissimi reus esset sacrilegii; ità qui adorat ejusmodi panem, credens esse Transubstantiatum, is verè Christum adorat, non panem.

Tertio opponunt, quod Eucharistiae adoratio, est novitiae in Ecclesia, notae; eam enim instituit in Ecclesia Honorius III. in Cap. 10. *Sanè* de Celebratione Missarum: deindè

Ur-

Urbanus IV. instituit Festum Corporis Christi, ut refert Trithemius in Chronico Monasteriensi, & Polidorus Virgilius Lib. VI. de Inventoribus rerum, Cap. 8. cujus Festi officium cum hymno, & prosa composuit Thomas Aquinas, quod ad Urbanum misit, & praemium retulit columnam argenteam, teste Nauclero. Idem deindè confirmavit Clemens V. in Clementina unica de *Reliquiis, & Veneratione Sanctorum*. Ritus igitur, est omninò novus, & humanum inventum.

Respondeo adorationem Sacramenti antiquam esse, ut fuit ostensum ex Patribus, non ab Honorio institutam; huic enim Pontifici tantum tribuitur, quod fuerit autor, ut pulsetur campanula, dum attollitur hostia, & gestatur ad infirmos; licèt Stephanus Durantius Lib. II. de Ritibus Cap. 40. hoc adscribat Gregorio IX. Festum autem Corporis Domini, utique ab Urbano IV. institutum, non negamus. Sed cur id reprehenditur? An quia novum? Sed omnia festa fuerunt aliquando nova, nec ullum est à Ch isto institutum: etiam veteres Judaei, festa sibi decernebant, absque Dei mandato; ut Festum Phurim, sivè Sortium (Esther, IX.) Festum Victoriae Judith (Judith XVI.) Festum Encaeniorum institutum à Machabaeis (I. Machabaeorum 6.) An quia id temerè factum? Sed hoc dicere nequit, nisi vel stolidus, vel blasphemus; nihil enim potuit congruentius excogitari ad protestandum singulare beneficium à Deo nobis collatum; & ad gratias eidem agendas. Tum verò ad instructionem rudium,

qui citius docentur: hoc mysterium ex publica adoratione Ecclesiae, & eximio illo honore, qui Eucharistiae exhibetur, quam ex multis concionibus.

Centum autem annis, post institutum Festum Papiae, coepit Lustratio Sacramenti, qua Corpus Christi in ferculum fertur, quam nos processionem appellamus, ut narrat Genebrardus in Chronologia; ac proinde ad reliquas Occidentis partes manavit, praesertim in Urbe Andegavensi, undè Berengarius Sacramentariorum vexillifer, fuerat Archidiaconus, ut esset quasi publica quaedam Fidei professio, ut debitus Deo cultus redderetur.

Sed contrà Processionem, opponit Kemnitius. Quum Israelitae bono quidem animo, sed absque Dei jussu, portassent Arcam Dei in Castra; putantes per illam Arcae circumgestationem, se victoria potituros; non tantum conceptâ spe frustrati sunt, sed exercitus ipsorum fusus est, Sacerdotes occisi, & capta Arca; (I. Regum IV.) improbandus igitur est hic ritus circumgestandi Eucharistiam, quum illum Deus non praeceperit.

Respondeo: deletas copias, totumque illum sinistrum eventum, non esse tribuendum gestationi Arcae, sed sceleribus Judaeorum; ac praecipuè Sacerdotum Ophni, & Phinees, filiorum Heli, quibus Deus exitium minatus fuerat, Cap. II. ejusdem libri, ajens: *In die una morientur ambo*. Ceterum ducere Arcam in Castra, nunquam Deus Hebraeis vitio vertit; imò strages eorum, edita ab Amalecitis [Numero-

merorum XIV.) huic potissimum causae adscribitur, quod Arca Testamenti Domini, & Moyses non recesserunt de Castris; hoc est cum praeliantibus non fuere. Existente Arcâ in Castris, Joab superavit filios Ammon (II. Regum II.) Et quum Saul Victoriam de Philistaeis reportavit (I. Regum XIV.). Item quum capta est Jerico sine sanguine Israelitarum, jussit Deus, Arcam circumferri per septem dies (Josue VI.) quod autem semel Dominus jussit, nisi deindè vetet, licitum est fieri.

PROPOSITIO TERTIA.

Potuit Ecclesia cum causa, adimere Laicis usum Calicis.

PRagae in Bohemia, orta primum est seditiosa haec opinio, anno 1412., non posse Laicos salvos fieri, nisi de Calice Domini bibant, ut refert Aeneas Sylvius in histor. Bohemorum Cap. XXXV.: licet alii velint, Graecos fuisse primos hujus haeresis autores. Placuit autem vehementer hic articulus, omnibus haereticis, quod invenissent, ut jactabant, sententiam in Sacro Evangelio expressam, per quam Romanae Sedis, vel ignorantia, vel nequitia argui posset. Post Saeculum, Lutherus obviis ulnis idem amplexus est, deinceps Sacramentarii passim.

Ut autem inculpatè procedat nostra disputatio; primo probandum est, totum Christum esse

esse in singulis speciebus. I. Johannis IV. dicitur: *Omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus*. Atqui solvit Jesum, qui ponit alicubi corpus sine anima; ergò Protestantes, non sunt ex Deo; sed Antichristi. Praeterea, inquit Dominus, Johannis VI. *Qui manducat me, vivet propter me*: At Corpus Christi, non est Christus; ergò si Christiani manducant Christum, non manducant solum Corpus: Manducatur autem Christus sub sola specie panis; ergò sub specie panis, non est solum Corpus, sed Christus totus. Denique Apostolus dicit, ad Romanos VI. *quod Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors ultrà illi non dominabitur*: At si Christi Corpus exangue, esset sub specie panis; Christus quotidiè moreretur, atque esset in Coelo vivus, in terra mortuus; ergò ubi Corpus, ibi Sanguis, & Anima, quae vivum hominem constituunt.

Secundo supponendum est; quod licèt ad rationem Sacramenti sufficiat una species, quia satis habet rationem signi, & gratiam confert; tamen ad rationem Sacrificii, una species non sufficit; nam Sacrificium est repraesentatio quaedam Passionis Christi: at sola species panis, non repraesentat exactè Christum mortuum nisi ex altera parte conspiciatur Sanguis, ut effusus; sic species vini, non satis repraesentat Christum, ut immolatum, quia solus Sanguis non est victima. Quoniam igitur Christus, est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech; debet in Sacrificio figurato idem offerri,

ferri; quod fuit oblatum in figura. Constat autem, Melchisedech obtulisse panem; & vinum, Genesis XIV. Hinc in Concilio Toletano VII. Can. 2. definitum est; quod si Sacerdos post consecratam unam speciem; morbo corripiatur, debet alius succedere, & perficere. Idem si recordetur alicujus gravis peccati, doleat, quoad potest; ne tamen mutilatum dimittat Sacrificium, ut docet S. Thomas tertia parte quaest. 83. artic. sexto.

Tertio praemittendum: nullum spiritualem fructum magis percipi ex utraque specie, quam ex una. Nam in contraria hypothesi: vel illud plus perciperetur ex ipsa specie continente, vel ex re contenta: sed non ex specie; quia illa nihil confert; non ex re contenta, quia in singulis speciebus, est totus Christus, ut probatum est: & quemadmodum, qui successivè plures particulas sumit in eadem participatione mysterii, non plus gratiae consequitur, quam qui unam comedit; ita, qui sub utraque specie communicat.

Quarto demonstrare possumus; Communionem sub utraque specie, etiam in Veteri Ecclesia, ad merum ritum pertinuisse. Nam Ecclesia Catholica, priscis temporibus, variè usa fuit pro diversitate locorum, & temporum; certe, licitam semper existimavit Communionem sub una, nec eam unquam damnavit. Hoc probatur primo: quia nemo veterum, qui Manichaeorum errores exagitarunt Epiphanius, Augustinus, aliique, illud in Manichaeis redarguerunt, quod sub una specie

com-

communicarent, quod tamen certum est, ex S. Leone Serm. IV. de Quadragesima, ubi dicit: Manichaeos, ne se proderent, solere panem cum Catholicis sumere, non tamen vinum; quod nisi Catholicis etiam licuisset, illi fuissent aperte deprehensi.

Secundo: Veteres, tempore persecutionum, Eucharistiam domum deferebant, ibique pro opportunitate communicabant, ut constat ex Tertulliano Lib. II. ad Uxorem; Clemente Alexandrino libro I. Stromateon, Cypriano Sermone de Lapsis, Hieronymo, aliisque. Hoc autem fiebat, tantum in specie panis: nam vinum, ex Calice dabatur bibendum, nec ullus domi, Sacros Calices habebat, teste Cyrillo Cathechesi V., & Athanasio Apologia II. in Arianos.

Tertio: aegrotis, sub una tantum specie, communio dabatur. Ità de S. Ambrosio, narrat Paulinus; de S. Basilio, Amphilochius in eorum vitis. Tum quoque Amalarius Fortunatus Lib. III. de Officiis Ecclesiasticis Cap. 35. testatur: ex vetusta consuetudine, in Missa, tres hostiae consecratae partes, fieri solitas: una à Sacerdote sumebatur, ante haustum Calicis: altera cum Sanguine miscebatur: tertia pro aegrotis asservabatur, & dicebatur Viaticum morientium.

Quarto: apud Graecos per totam Quadragesimam, excepto die Dominico, Sabbato, & festo Annunciationis Deiparae, fiebat Sacrificium ex praesanctificatis, hoc est oblatio Sacrificii jam peracti; ut nunc apud nos, fit in

die

die Parasceves; quum Sacerdos non consecrat, sed communicat sub una tantum specie. De ritu autem Graeco, mentionem faciunt Synodus Laodicensis Can. XLIX. Trullana Can. LII. Theodorus Balsamon, & alii. De Latino, praeter Ritualia antiqua, etiam Innocentius I. Epist. I. Cap. 4. Et hoc sanè non omittendum: quod si Graeci sub utraque communicantes, putassent, hoc ad summam Fidei, non ad merum ritum pertinere; hunc errorem Latinis, nunquam objicere desiissent, quod tamen non fecerunt.

Venio nunc ad probationem positi Dogmatis. Communio sub utraque, vel sub una specie, est materia merè ritualis: At Ecclesia circà ritus Sacramentorum, facultatem habet statuendi, & abrogandi, ut patet in Baptismo, qui olim administrabatur tertiâ immersione, nunc verò unica, & patet etiam ex illo Apostoli I. ad Corinthios II. *Cetera, quum venero disponam*; ergo potuit Ecclesia, Christianae plebi adimere Calicem. Dices: id fieri saltem non debuisse, absque magna causa; fuit enim habenda ratio vetustatis.

Atqui multae fuerunt causae, quibus Ecclesia ad eam constitutionem descendit. Primò multi adeo sunt abstemii, ut vinum eis stomachum moveat. Secundò: in aliquibus locis vini nulla prorsus est copia; quamobrem Innocentius VIII. permisit Norvegiis, ut absque vino sacrificarent, quod ibi non nasceretur, & aliundè importatum, continuo acesceret, ut refert Raphaël Volaterranus Lib. VII. Geographiae;

phiae ; vel quia putavit Pontifex, utramque speciem, non requiri ad Sacrificium de jure Divino, ut opinati sunt Gabriel, Johannes Major, aliique Theologi; vel quia excipiendum censuit casum necessitatis; & satius esse duxit, Sacrificium imperfectum haberi, quam nullum.

Tertio: ad cavendam irreverentiam, si vinum effundatur. Semper enim Ecclesia diligentissimè studuit, ne panis consecratus in terram decideret, ut ex veterum lectione constat, & tamen potest colligi; quanto igitur major est irreverentia, si effundatur Sanguis, qui rursus colligi nequit? Hoc autem facilè contingeret in magno Communicantium numero: ne quid dicam de incommodo praebendi speciem vini, tot populorum turbis, qui tempore Paschatis Sacris participant; nam, neque multi Calices satis essent, neque si fieret unus ingens, posset vel à Sacerdote attolli, vel à Diacono circumferri. Extat autem Epistola Gregorii III. ad Bonifacium Episcopum Moguntinum, ubi eos reprehendit: qui contrà Ecclesiae usum, plures in Altari Calices habebant. Non defuere igitur causae, quibus Ecclesia, tantum Sacrificantibus, speciem Sanguinis reservaret.

Opponunt: primo ex Verbis Christi: Nisi manducaveritis, & nisi biberitis, non habebitis vitam, Johannis VI.: clare evincitur, eandem esse impositam necessitatem sumendi utramque speciem, & cibi, & potus.

Respondeo: vitam spiritualem haberi per sum-

ſumptionem ſignorum; & neceſſitatem eſſe in re, non in modo; unde quicunque accipit Corpus, & Sanguinem Chriſti, vitam habet, quocunque modo accipiat. Ex probatis autem, in ſingulis ſpeciebus utrumque continetur; quare ſubjicit Dominus: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum*; quibus in verbis, nulla eſt mentio Calicis.

Secundo, opponunt illa: *Bibite ex hoc omnes*; ex quo, argumentum conficit Lutherus, & ſibi plaudit: *Iiſdem dictum eſt manducate, & bibite; ergo vel totum Sacramentum datum eſt ſolis Sacerdotibus, & ſic Laicis, neque panis eſt dandus: vel datum eſt etiam Laicis, & ſic etiam ipſi ſunt bibere juſſi.*

Reſpondeo: tò *omnes* ſignificare omnes praeſentes, hoc eſt Apoſtolos; ait enim Marcus Cap. XIV. *Et biberunt ex eo omnes*; Conſtat autem: Matrem Domini, alioſque Fideles ex eo Calice tunc non bibiſſe. Inſtitutio igitur illa, fuit Sacrificii, & Sacramenti; ut Sacrificii, poteſtas data eſt Sacerdotibus, illis verbis, *Hoc facite*: fruſtrà enim Laici facerunt. Ut Sacramenti ſuſcipiendi, data etiam Laicis copia: at ſub una, an ſub utraque ſpecie, nihil de hoc Chriſtus praecepit; itaque verbum, *Bibite* referendum eſt ad eos, qui ſacrificaturi erant, quibus dictum eſt: *Facite*.

Tertio, urgent verba illa: *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis, & pro multis effundetur*; datur ergo Sanguis omnibus iis, pro quibus fuſus eſt, etiam pro Laicis; Laici quoque dictum eſt, *Bibite*, Laiciſque dandum poculum. Hoc

argu-

argumentum, inquit Lutherus, maximè omnium urget, penitusque me concludit.

Respondeo: satis hinc patere, quam angusta fuerit mente, Lutherus, qui, vel levissima difficultate, se fateatur conclusum, captum dixisset verius, nihil enim ipsi magis incommodat. Si Sanguis esset iis omnibus dandus, pro quibus effusus est, dandus etiam esset Catechumenis, infantibus, Infidelibus, si pro omnibus effusus dicatur; si pro solis Electis, quomodo eos discerneret Lutherus; ne dum ex Laicis, sed etiam ex Sacerdotibus aliqui non sunt Electi; praeterea cur datur Judae proditori? at Christus ait *pro multis*, qui sunt hi multi? explicet Lutherus. Sed maxima ineptiarum, est in ea illatione: *Hic Sanguis effundetur pro vobis, & pro multis*; ergo dandus omnibus, pro quibus est effusus; ergo etiam Laicis. Prima consecutio absurda; secunda absurdior.

Quarto: opponunt Gelasium Papam, cujus verba Gratianus recitat in Can. *Comperimus*, de Consecratione distinct. 2. *Comperimus, quod quidam, sumptâ tantummodo Corporis Sacri portione, à Calice Sacri Cruoris abstineant, qui procul dubio* (quoniam nescio, qua superstitione docentur obstringi) *aut Sacramenta integra percipiant, aut ab integris arceantur; quia divisio unius, & ejusdem Mysterii, sine grandi Sacrilegio, non potest provenire.*

Respondeo: Gratianum intellexisse textum de Sacerdotibus: in summario enim haec posuit: *Corpus Christi, sine Sanguine, Sacerdos non debet*

debet accipere: Vel intelligendus est de Manichaeis, & Priscillanistis, qui à Calice abstinebant, tùm propter odium vini, tùm quod putarent, Christum non habuisse verum Sanguinem. Quae responsio ex verbis illis confirmatur, *Nescio, qua superstitione, &c.* Confer, quae supra dixi ex S. Leone; cujus aevo vitare Sacrum poculum, erat nota Manichaeismi.

Quinto opponitur textus in Can. *Quum omne*, eadem distinct. de Consec. ex Julio Papa, sivè ex Concilio Bracarensi III. ubi improbatur; quod quidam, Populis Eucharistiam intinctam, pro complemento Communionis, porrigerent.

Respondeo: quod licet ibi prohibeatur panis intinctus, non tamen praecipitur Communio sub utraque specie; nam etiam, quo tempore permissa erat Communio sub utraque, non debuit dari panis intinctus: vel enim hoc fieret, ut habeatur Sanguis, & frustrà; quia & in Corpore Sanguis inest: vel ut habeatur in specie potus, & frustra, quia panis etiam intinctus, cibus est, non potus.

CAPUT QUINTUM

De Sacrificio Missae.

PROPOSITIO PRIMA

Missa, est Sacrificium propitiatorium, & impetratorium.

MUlta nugantur Protestantes, circà Sacrificii nomen, quod Sanguine viperino cautius vitant. Calvinus lepidus est, dum ait: *Romanenses probare Sacrificium Missae, ex verbis, Hoc facite; quod facere Latinis, sit etiam Sacrificare; juxtà Virgilianum illud: Quum faciam vitula pro frugibus*. Hoc tamen, etsi nebulo ille ad deridendos Catholicos utatur; propterea, quod Christus Syriacè, vel Hebraicè locutus sit; scire tamen debuit, Hebraeum verbum *Asa*, quod *facere* significat, accipi etiam pro significare, ut Levitici XV. ubi agens Moyses de duplici turture, in Sacrificium offerendo, inquit: *Faciet unum pro peccato, & alterum in holocaustum*; plures alios textus affert Bellarminus Lib. I. de Missa Cap. 12.

Planè ad causam nostram satis est, semper fuisse in Ecclesia Sacerdotes, semper Altaria, quae prophani isti evertunt, convertuntque in mensas; quibus rectissimè exprobare possemus cum Optato Milevitano Lib. VI. contrà Parmenianum: *Quid est tam sacrilegum, quam*

Alta-

Altaria Dei, in quibus aliquando & vos obtulistis, frangere? Quod ab ipsis Apostolis, ad nostram usque aetatem concordi Ecclesia sensu traditum est; qua de re omnis generis testimonia afferuntur, eaque luculentissima. Fuit igitur semper apud Christianos Sacrificium: quorsum enim Altare? quorsum Sacerdos? Quum itaque hoc sit Christiani Sacerdotis munus, offerre Deo Corpus, & Sanguinem Unigeniti Filii sui; sequitur, hanc oblationem esse verè, & propriè Sacrificium. Hinc verba illa Patribus usitatissima, *Sacrificium*, *Oblatio*, *Immolatio*, *Hostia*, *Victima*, *&c* quod nec ipse dissimulavit Kemnitius, licet ex more suo, vel morbo, in alium sensum detorquere conetur.

Nec adversatur, quod habet Minutius Felix in Octavio, ubi Caecilius Ethnicus inducitur ibi, de Christianis loquens: Cur nullas Aras habent, nulla Templa, nulla Simulacra? Nam cum sub tyrannide Gentilium, Christiani in Cryptis, & cavernis rem sacram facere cogerentur, vel in privatis domibus, absque ulla pompa, vel apparatu, nullas publicè Aras, nulla Templa habere poterant; alioqui se ipsos prodidissent, ac perdidissent: unde Paganorum vulgus, Atheos eos appellabant, quod nullis viderent Diis palam sacrificare. De cetero, non solum tempore Minutii, Christianos habuisse Altaria, ubi habere poterant, constat ex S. Cypriano, qui fuit Minutii aequalis; sed & multo ante habuisse, patet ex Scriptoribus antiquioribus, quales sunt Dionysius, Clemens,

mens, & Tertullianus in Lib. de Poenitentia.

Quoniam verò, pudentiores ex adversariis admittunt, Missam esse Sacrificium, sed Eucharisticum, vel Latreuticum, non Propitiatorium; accedo ad probandam, propositionis, primam partem. Eucharistia est instituta in remissionem peccatorum, quod & ipsi Lutherani concedunt: Sed non remittit peccata, ut Sacramentum; ergo ut Sacrificium. Assumptio probatur. Eucharistia non prodest, nisi sumenti: sed sumens debet esse sine peccato, juxtà illud: *Probet autem se ipsum homo*; ergo ut Sacramentum, non remittit peccata.

Idem probatur ex Capite V. ad Hebraeos: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quae sunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccato*; ergo si in Ecclesia sunt Sacerdotes, & Sacrificium; illud erit propitiatorium pro peccatis. Item Cap. X. ejusdem Epistolae: *Ubi est remissio, non oblatio pro peccato*; ergo quum opus est remissione, opus est oblatione; atqui quotidie indigemus remissione; ergo & indigemus oblatione.

Denique id evincitur, confessione veterum. In liturgia Jacobi: *Offerimus tibi incruentum Sacrificium pro peccatis nostris, & ignorantiis populi*. Idque repetitur in Liturgiis Basilii, & Chrysostomi. Athanasius Serm. pro Defunctis: *Incruentae hostiae oblatio, propitiatio est*. Hieronymus in Capite I. ad Titum: *Si Laicis imperatur, ut propter orationem abstineant se ab*

uxorum coitu; quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidiè pro suis, populique peccatis, illibatas Deo oblaturus est victimas? Augustinus VII. in Leviticum: *In multis Sacrificiis, quae pro peccatis offerebantur, unum hoc nostrum Sacrificium significatur, in quo vera fit remissio peccatorum*. Haec de multis satis sunto.

Secunda pars probatur. Fuere in lege Moysi Sacrificia impetratoria. David obtulit pacifica, pro avertenda peste, & impetravit (II. Regum, ultimo.) Onias obtulit hostiam salutarem pro vita Heliodori, & impetravit, (II. Machabaeorum III.) Hebraei immolarunt hostias pro vita Darii, & filiorum (I. Esdrae VI.) Si verum igitur, quod Eucharistia, omnes veterum oblationes in se continet; erit Sacrificium, etiam impetratorium; unde Tertullianus ad Scapulam: *Sacrificamus pro salute Imperatoris.* Adde, quod esse impetratorium minus est, quam esse propitiatorium; facilius est enim, gratiam impetrare ab amico, quam in gratiam redire cum inimico; ergo si sacrificium Missae, est propitiatorium, ex probatis; multo magis erit impetratorium.

Opponit Lutherus, in Libro de Captivitate Babylonica. Si Missa esset Sacrificium propitiatorium; communio unius, prodesset alteri: Atqui hoc fieri non potest; nam alias posset, etiam unus pro altero baptizari, contrà illud Apostoli I. ad Corinthios XV. *Quid facient ii, qui baptizantur pro mortuis?* ergo, nec sumptio Eucharistiae, potest ab uno pro alio fieri.

Respondeo: aliam esse rationem Sacra-

menti, aliam Sacrificii : Sacramentum ordinatur, ad sanctificandum suscipientem tantum; at Sacrificium prodest etiam iis, pro quibus offertur; sicut oratio prodest, non tantum oranti, sed & iis, pro quibus oratur. Sic sumptio Eucharistiae, prout est Sacramentum, prodest soli Sacerdoti; sed prout est perfectio Sacrificii, prodest omnibus, pro quibus offertur.

Opponit Kemnitius, in Examine Concilii Tridentini. Si Missa dimittit peccata, satius est procurare sibi oblationem Missae, quam Sacramenta suscipere, pro remissione peccatorum; illud enim fit sine labore, sine periculo, hoc secùs; ergo doctrina de Sacrificio propitiatorio, evertit necessitatem Sacramentorum. Quod si dicas: per Sacrificium Missae, non remitti immediatè peccata, sed impetrari donum poenitentiae, ut disponantur peccatores ad quaerenda Sacramenta: urget, quod multae offeruntur pro peccatoribus hostiae, qui tamen poenitentiae donum nunquam obtinent.

Respondeo; quod quum Deus hominis libertatem non cogat, sequitur: Sacrificium Missae aliquando non operari conversionem hominis, si ille in malo se obduret; at non ideo, non est propitiatorium, secundum se; alioqui nec Baptismus, nec Poenitentia propitiationem haberent, quia non unquam eam efficiunt: neque sol ipse lucidus esset, quia in cryptis, vel sepulchris non lucet. De cetero Deus quandoque, non denegat omninò auxilia, sed differt. Sic Mors Christi, non statim habuit effe-

effectum suum quoad omnia: & oratio Stephani, impetravit Pauli conversionem, non continuo, sed futuram, tempore à Deo praescripto.

PROPOSITIO SECUNDA.

Datur Purgatorium; & Animae in eo existentes, Sacrificiis juvantur.

QUum probatum sit, Missam prodesse iis, pro quibus offertur; superest controversia, an prosit etiam mortuis. Hoc autem tractari non potest, nisi de igne Purgatorio priùs disputetur. Antiquiores Purgatorii hostes, fuisse dicuntur Graeci; licet quidam existiment, eos non negasse Purgatorium, sed tantum ignem. Deindè Wicleffus in propositione 25. damnata in Concilio Constantiensi, docuit: preces pro mortuis, & purgatorium ignem, esse inventum avaritiae Sacerdotum. Lutherus Purgatorium admisit, negavit, distinxit; hoc enim sibi propositum habuisse videtur homo varius, & multiplex, ut nunquam sibi ipsi constaret; adeo enim contradicendi studio exarsit, ut non tantum aliis, sed & contradiceret sibi. Calvinus eandem pressit orbitam: ait enim III. Institutionum 5. §. 6. Purgatorium, esse exitiale Satanae Commentum, quod Christi Crucem evacuat, ejusque Misericordiae injuriam facit, ac Fidem evertit.

His autem histrionibus, grex totus Protestantium plaudit.

Ad probandum Purgatorium, ex Veteri Testamento, decem protulit loca Bellarminus; sed quia plerumque, sensu mystico nituntur, quod est operam ludere cum Sectariis istis; ideo unum tantum expromam, quem Joakimus Perronius in Topicis Theologicis, expressum esse, ait, pro hoc Dogmate: quamquam nullum expressum esse in Scripturis, quidam etiam Catholici, perperam sint opinati, ut Aureolus, Sonnius, Bullengerus, aliique. Locus autem est II. Machabaeorum XII. ubi: postquam narravit historicus, Judam Machabaeum misisse in Jerosolymam duodecim millia dracmarum argenti, ut impenderentur in Sacrificia pro mortuis, subdit: *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.*

Hic, ad veterem cantilenam confugiunt adversarii; libros Machabaeorum, non esse Canonicos; sed hoc abundè à nobis refutatum est, in libro de Locis Theologicis, ubi pluribus ostendimus: duos priores Machabaeorum Libros, semper in Ecclesiâ pro Canonicis lectos fuisse; & argumenta, quae in contrarium afferri solent, rejecimus.

Ex Novo autem Testamento, probatur Purgatorium, verbis Christi, Matthaei XII. *Sunt quaedam peccata, quae neque in hoc saeculo remittuntur, neque in futuro*; ergo sunt aliqua peccata, quae remittuntur in alia vita; alioqui locutio Christi, esset inepta: sed non pos-

possunt remitti in Regno Beatorum, qui nil coinquinatum illuc intrabit; non in Inferno, quia nulla ibi redemptio; ergo in tertio loco, ubi animae sint capaces expiationis, quem nos Purgatorium vocamus: hoc argumento utuntur Augustinus XXI. de Civit. Cap. 24., Gregorius, Bernardus, Beda, aliique.

Duo reponit Calvinus: unum, quod Christus loquitur de remissione culpae, non de remissione poenae Purgatorii. Alterum, quod in hoc saeculo, & in futuro, significat non remitti, neque in hoc judicio, neque in novissimo.

Sed falsum primum: quia quum culpam sequatur poena: si in alia vita, culpa aliqua remittitur, poenam etiam ibi remitti, necesse est; imò quum Protestantes negent, peccatum ullum esse veniale: scire vellem ab ipsis, quodnam est hoc peccati genus, quod post mortem remittitur: Catholici enim dicunt, peccata venialia remitti in alio saeculo, quoad culpam, lethalia verò tantùm quoad poenam. Falsum secundum; quia juxtà Calvini expositionem, aliquod peccatum, quod hic non remittitur, esset in extremo judicio remittendum, quod nemo, nisi vacui capitis, dixerit.

Eadem porrò veritas, patet evidenter ex constantissima Ecclesiae Traditione: nihil enim usitatius fuit in omni aetate, quam orare pro mortuis; adeò ut, ad Catholicam lucem, caligare non possint, nisi qui caeci sunt, & Duces caecorum. Illud autem palam est, tum ex Conciliis Oecumenicis, quae ostendunt fidem

Eccle-

Ecclesiae Universalis, ut in Lateranensi IV. Can. 66. Florentino in Decreto unionis, & Tridentino Sessione XXV. Tum ex Conciliis Provincialibus, quae cujusque Ecclesiae fidem testantur; ut in Bracarensi I. Can. 34. quod testimonium dicit pro Ecclesia Hispanica; Aurelianensi II., & Cabilonensi, quod refertur in Can. *Visum est*, de Consecrat. Distinct. I. pro Ecclesia Gallicana. Vormatiensi Can. X. pro Ecclesia Germanica; Concilio VI. sub Symmaco Papa pro Ecclesia Italica: & in Collectione Synodorum Martini Bracarensis Cap. LXIX. pro Ecclesia Graeca. Sanctos Patres praetereo, nam nullus esset finis.

Planè ex Protestantium grege, Innocentius Gentiletus in Examine Concilii Tridentini lib. IV. ad Sessionem 25. negare non potuit: Sanctum Augustinum, strenuè Purgatorium propugnasse, ait tamen: alios Sanctos Patres diversum sensisse, ex quibus allegat S. Hieronymum Can. in *praesenti* Causa 13. quaest. 2. ubi ait; *In praesenti saeculo scimus, sivè orationibus, sivè Consiliis invicem posse nos coadjuvari; quum autem antè Tribunal Christi venerimus, non Job, non Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquam, sed unumquemque portare onus suum.*

Gratianus putat, eum textum accipiendum esse, de impoenitentibus, juxtà illud Psalmi XLVIII. *Non dabit Deo placationem suam, & pretium redemptionis animae suae*. Sed verius est: loqui Hieronymum de peccatis gravibus, quorum non est remissio post mortem; ideoque

que possumus alios juvare, dum vivunt, orationibus, & consiliis, ut vitam emendent. Ceterum, si eos mors interceperit, ante Tribunal Christi, nullus erit deprecator, sed unusquisque onùs suum portabit.

Opponit item Gelasium in Can. *Legatur* Caussa XXIV. quaest. 2., ubi quum allegasset Pontifex illud Matthaei XVI. *Quae ligaveris super terram, &c.* ait: *super terram*, inquit: nam in hac ligatione, defunctum nunquam dixit absolvi.

Respondeo, temerè hunc objici locum; ibi enim Gelasius requisitus fuit à Senatoribus Constantinopolitanis, ut liceret sibi communicare cum Acacio, ab Apostolica Sede excommunicato, utque absolverentur haeretici jam defuncti. Respondit Papa: mortuos absolvi non posse, juxtà antiquam Ecclesiae Romanae regulam; *non oportere mortuis communicare, cum quibus viventibus communicatum non fuit*. Haec autem, nihil ad Purgatorium faciunt.

Calvinus Scripturis agit. Opponit primò locum Ecclesiaste Capite IX.; ubi dicitur: *Mortuos non habere partem in hoc saeculo, & in opere, quod sub sole geritur*.

Respondeo: verba Salomonis directa esse ad impios, qui quum ad aeterna supplicia properent; certum est, ibi nullam cum operibus viventium partem habituros; proximè enim dixerat sapiens: *Corda filiorum hominum implentur malitia, & contemptu in vita sua, & post haec, ad inferos deducentur*.

Secundo opponit verba Christi, Johannis V.

Qui

Qui credit in eum qui misit me, habet vitam aeternam, & in judicium non venit.

Respondeo: eum, qui credit, non venire in judicium, hoc est, non condemnari; dummodò addat cetera, quae requiruntur. Fides enim ex se justificat, & salvat, si nullum accesserit impedimentum, quemadmodum dicere solemus; ex hoc semine nascitur arbor; nempè si accesserit habilis natura soli, aëris temperies, Solis, ac pluviae opportunitas, &c. Quidam ergo salvi fiunt, per solam Fidem, ut infantes post Baptismum pereuntes; alii nonnisi per ignem, ut plerumque accidit adultis.

Tertio opponit illud ad Romanos VIII. *Nihil damnationis* (vel ut Graeci legunt, nulla est condemnatio) *iis, qui sunt in Christo Jesu.*

Respondeo: omissa Bellarmini interpretatione; rectè hunc locum exponi à Peltano, de iis, qui post Baptismum perpetuam servarunt pietatem, & Sanctimoniam singularem; ut colligitur ex subsequentibus Pauli verbis, hic enim est integer locus: *Nulla condemnatio est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant.*

Quarto urgent locum Apocalypsis XIV. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur: amodò jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* Et quod mirum est; Petrus Picherellus, Doctor Sorbonicus, in Lib. de Missa, non est veritus dicere; Johannem his paucis verbis; Purgatorium ignem extinxisse.

Respondet S. Anselmus: vocem illam, Amo-

Amodo, non significare à morte cujusque, sed ab extremo Judicio. Haec tamen responsio, non convenit cum textu Graeco, quâ linguâ scripsit Johannes, ubi ità legitur: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*: post hac certe dicit, *Spiritus ut requiescant*, *&c.* Aliter igitur respondeo: ibi agi de perfectis, qui moriuntur absque culpa, & sic verè in Domino moriuntur; praesertim vero Martyres, quos ibi consolari voluit Johannes; ut de Stephano dicitur, *obdormivit in Domino*. Ecclesia enim gloriosa, ut ait Apostolus ad Ephesios V. *Non habet maculam, aut rugam, sed est Sancta, & Immaculata*. Itaque moritur in Domino, qui in nullo est reus, neque culpae levis, neque poenae gravis peccati; si vero aliquid debet, tradetur à Judice tortori, & mittetur in carcerem, nec indè exibit, donèc reddiderit novissimum quadrantem, ut est in Parabola Evangelica.

Quinto opponunt Augustinum in Hypognostico; ubi quum dixisset, Fidem Catholicam duo loca, post hanc lucem agnoscere, Regnum Coelorum, & Gehennam, subdit: *Tertium locum penitus ignoramus; imò nec esse in Scripturis Sanctis invenimus*.

Respondeo: S. Augustinum ibi agere de quodam vitae beatae statu, tum loco, tum genere ipso vivendi, medio, & interjecto inter Coelites, atque damnatos, cujus commenti propugnator fuit, Ambrosius Catharinus: auctor verò Pelagius haereticus, juxtà notata à Petavio Tom. I. Dogmatum Theologicorum Lib. 9. Cap. II. quem statum, parvulis sine baptismo dece-

decedentibus pollicentur: Hunc itaque locum impugnat Augustinus, non autem Purgatorium. Audi Augustinum ipsum sexcentis in locis adversus Pelagium: *Non baptizatis parvulis*, inquit, *nemo promittat inter damnationem, regnumque Coelorum quietis, vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet quasi medium locum: Hoc enim eis, etiam haeresis Pelagiana promittit: quia nec damnationem metuit parvulis, quos nullum putat habere originale peccatum: nec sperat eis regnum Coelorum, si non perveniunt ad baptismatis Sacramentum.*

Sexto opponunt eundem Augustinum in Commentario Psalm. XXXI. *Beati, quorum tecta sunt peccata*, ait enim: *Tecta peccata, quare dixit? ut non videantur: quid autem est aliud, Deum videre peccata, nisi punire peccata?* Eandem interpretationem sequi videtur Hieronymus ibidem, dum ait: *quod tegitur, non videtur, quod non videtur, non imputatur, quod non imputatur, non punitur*: ergo post remissionem peccati, nulla est poena temporalis luenda, nec proinde Purgatorio est opus.

Respondet Bellarminus: has Scripturae locutiones, Deum tegere peccata, non recordari amplius, projicere in profundum maris, obliterare instar nebulae, in quibus tantoperè declamat Calvinus, significare: Deum post veniam, non retinere cum peccatoribus inimicitiam, non excludere ab aeterna felicitate; sed quod attinet ad culpam, & poenam aeternam, eos perinde habere, ac si nunquam peccassent. Ceterum pro satisfactione Divinae justi-

ſtitiae jubet, vel ut ipſi peccatores puniant ſe operibus luctoſae poenitentiae, & afflictionibus corporis, vel ipſe puniet poſt mortem poenâ temporali in Purgatorio: ita se ipſum declarat Auguſtinus in Pſalmum I. ubi ſcribit: *Non impunitum erit peccatum meum; ſed ideo nolo, ut tu punias, quia ego peccatum meum punio.*

Hi probatis, venio ad ſecundam partem. Nulla ratio ſuadere poteſt, preces & Sacrificia utilitèr offerri pro viventibus, non tamen pro defunctis, dum in eo ſtatu ſunt, quo indigent ſatisfactione; quae enim à Sectariis affertur, ineptiſſima eſt; quod, ſcilicet, Chriſtus dixerit: *Accipite, & manducate*; mortui autem comedere non poſſunt. Nam id ſolum probat, animas Fidelium, non eſſe capaces ſuffragii, quod habetur ex Miſſae Sacrificio; alioqui, nec pro abſentibus poſſet offerri, quia non participant.

Accedit autoritas libri Machabaeorum ſupracitati; quem etiamſi concedamus, non eſſe Canonicum; ſatis erit ad probandum morem veterum Judaeorum; nam etſi abrogetur ei fides, quae ſcripto Divino debetur; negari tamen nequit ea fides, quae habetur cuicumque hiſtorico; cur enim credamus Joſepho, vel Philoni, non huic Scriptori? ego planè non video. Profecto Auguſtinus in Libro de Cura pro mortuis Cap. I. ex eo loco probat; oblationem Sacrificii, mortuis prodeſſe.

His adde uſum vetuſtiſſimum Eccleſiae Univerſalis; nam de Ritu Sacrificandi pro pec-

catis

catis defunctorum, mentionem facit Tertullianus in Lib. de Corona Militis; Eusebius in vita Constantini Lib. IV. Epiphanius in Anacephalaeosi: praeter Arianam haeresim, damnat in Aërio, quod docuerit; non oportere offerre pro iis, qui obdormierunt. Idem habetur apud Cyprianum, Cyrillum, Ambrosium, & in omnibus antiquorum Liturgiis. Itaque rectissimè concludimus cum Chrysostomo: hanc esse Apostolicam Traditionem; sic enim, ait, Homilia LXIX. ad Antiochenos: Non temere haec ab Apostolis sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis Defunctorum agatur commemoratio: sciunt enim illis indè multum contingere lucrum, multam utilitatem.

CAPUT SEXTUM.

De Poenitentia.

AN Poenitentia sit Sacramentum, magna contentione disputari videmus; propterea, quod id pernegant Lutherus, Calvinus, aliique Novatores. Quae tamen lis, si quid judicare possumus, de mero nomine censenda est; nam quod Ecclesiae Ministri potestatem habeant remittendi peccata, tàm certum est in Evangelio, quam quod certissimum, ex illo Johannis XX. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur*. Quod haec remissio indigeat aliquo signo externo: indè patet; quod homines, qui corporei sunt, non possunt alitèr intelligere se esse absolutos, nisi voce, aut aliquo signo id

eis

eis innotescat. Quod ex parte peccatoris, requiratur signum aliquod externum resipiscentiae, & emendationis, sivè sit confessio in genere, sivè in specie, de quo infrà, ipsi Protestantes admittunt, dum fatentur: non esse absolvendos, qui nec poenitentiae signa edunt, nec absolutionem petunt. Quod autem remissionem peccatorum sequatur justificatio, & gratiae infusio, liquet ex ipsis terminis. Superest igitur quaerere; an hic ritus debeat appellari Sacramenmentum, quod est, ut dicebam, de nomine altercari; nam reapse omnia, quae ad Sacramenti rationem faciunt; continet, ac definitum dogma est, Poenitentiam esse Sacramentum, juxta modum jam explicatum.

Praecipua in hac re controversia, est de Confessione auriculari, quam praeter alios, novissimè impugnare studuit, Johannes Dallaeus Calvinianus Minister quatuor libris de Sacramentali Latinorum Confessione, quibus demonstrare conatur; auricularem Confessionem prioribus Saeculis, ignotam Ecclesiae; excogitatam demum ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi; unde saepius eam appellat, Innocentianam machinam, & tormentum; cogit enim audire, quae etiam patientissimorum de vulgo patientiam fatigarent, & ea scrutari, atque loqui, & à fidelibus quaerere, quae vel lenones ipsi erubescerent; in quo Calvini scommata recentat, qui Lib. III. Institut. Cap. 4. §. 7. docuit: nondum suâ aetate, trecentos annos elapsos, ex quo injectus ab Innocentio laqueus, & imposita confitendi necessitas. Hanc exitiosam doctri-

nam, operae pretium est, hic refellere.

PROPOSITIO PRIMA.

Confessio auricularis, est ex praecepto Christi.

PRobatur primo. Apostoli, & qui eis successore Sacerdotes, constituti fuerunt à Christo, Judices in Ecclesia, quod patet ex citatis verbis apud Johannem: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur: quorum retinueritis, retenta sunt*; ergo potestas absolvendi, & condemnandi, quae Judicialis est, data fuit Apostolis. Dallaeus, ut hoc telum effugiat, ait: potestatem Apostolis concessam fuisse, tantùm *ministerialem*, secundum illud Apostoli: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi*; unde concludit; Apostolos non fuisse Judices, sivè autores absolutionis, sed tantum nuncios, & conciliatores.

Sed hoc suffugium, levi negotio praecluditur; nam praeter quam, quod repugnat ipsis verbis remittendi, & retinendi; ex eo etiam obstruitur, quod Apostoli missi sunt à Christo, ut ipse fuit à Patre missus. Citat. Johannis XX. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*: Sed Christus missus est, ut judicaret orbem, Johannis V. *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*; ergo & Apostoli sunt ab eo Judices missi, ex quo Paulus, ait: *Nescitis, quoniam Angelos judicabimus*.

Prae-

Praeterea, qui claves alicui tradit, non ideo tradere videtur, ut possit ille tantum significare, aliis ostium esse clausum, vel apertum, sed ut ipse possit claudere, & aperire; unde traditio clavium apud Jurisconsultum in L. *clavibus* 74. D. de contrahenda emptione, & res ipsa satis declarat: Atqui Christus tradit Petro claves Regni Coelorum, ut quidlibet ligare, & solvere in terris posset; ergò Sacerdos, non est tantum nuncius, & conciliator, sed judex; neque significat tantum peccata esse remissa, sed judiciali ipse potestate remittit.

His positis, sic procedit Catholicum Dogma. Sacerdotes, Judices sunt peccatorum, à Deo constituti: at nemo judex potest, nisi causâ cognitâ, vel absolvere, vel condemnare, quod est exploratissimum; ergò non potest à peccatis homo absolvi, nisi eorum confessione apud Sacerdotem, cui jus est remittendi, prius instituta.

Respondet Dallaeus: ex argumento, non concludi Confessionis necessitatem: quemadmodum enim sunt in Civitate Judices, sed nihil prohibet reos ad ipsum Regem adire; ità & si concedatur, Sacerdotes Judices esse in Ecclesia, nihil vetat reum ab ipso Deo posse remissionem consequi peccatorum, si ipsum rectà petat, hortante Christo, ut oremus Patrem quotidiè: *Dimitte nobis debita nostra*.

Replicamus, quod potest quidem haec venia immediate à Deo impetrari, imò impetratur in necessitate per contritionem; sed in aliis haberi debuit ex praesenti Decreto, ut

loquuntur Theologi, sed necessaria foret alia Revelatio: postquam enim Christus, hanc potestatem Sacerdotibus mandavit; quid aliud, nisi periculosa importunitas esset, spreta Sacerdotali autoritate, velle Deum ipsum adire? Non disputamus hic, quid Deus facere possit, sed quid secundum Evangelica praescripta, in praesenti ordine rerum, fieri conveniat. Etiam, sine Baptismo, potest Deus aliquem salvum facere; at quia ex revelatis constat, ità Deo placuisse, ut salvi simus per lavacrum regenerationis; non debet quis post Fidem in Deum habitam, Baptisma praetermittere: *Qui enim crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*. Sic postquam Rex, Clavigerum instituit, per quem ad se pateat aditus; quis, nisi temerarius, petere audebit, ut ipse Rex ostium aperiat?

Reliquas Scripturas omitto; ut Jacobi V. *Confitemini alterutrum peccata vestra*: Johannis Epistola I. Cap. primo. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus, & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate*. II. ad Corinthios V. *Dedit nobis Deus ministerium reconciliationis, & posuit in nobis verbum reconciliationis: pro Christo ergo legatione fungimur &c.* Nam textus, non ità sunt aperti, ut adversariorum cavillationibus non sint obnoxii, ut notat Vasquez Tomo IV. in tertiam partem quaest. 90. artic. 1. dub. 1. Omitto quoque argumenta, quae duci solent ex figuris quibusdam Veteris, Novique Testamenti; quia ex sensu mystico, non ducitur certum argu-

argumentum, ut ait insignis Theologus Guilielmus Estius in IV. distinct. 17. §. 5. Satis igitur erit, citatus locus Johannis XX., qui sine calumnia, Catholicae doctrinae, solidum est fundamentum, quod & Tridentini Patres agnoverunt Sessione XIII. Cap. 5.

Probatur 2., Traditione. Actorum Cap. XIX. ibi: *Multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos. Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus*. Agitur hoc loco de confessione peccatorum in specie, ut patet ex illo: *Confitentes actus suos*: neque illa soli Deo facta, sed etiam homini; ad Paulum enim veniebant. *Curiosa* autem in textu, intelliguntur magicae vanitates, & diabolicae praestigiae; quamobrem, *& libros combusserunt*. Atque hinc etiam intelligimus, usum prohibendi, & damnandi libros, esse in Ecclesia antiquissimum.

Ex Patribus, & Conciliis, pauca seligam, ex innumeris allatis à Jacobo Boileo in histor. Confessionis auricularis, qui per omnia saecula discurrit. Proximi Apostolis, fuere Clemens Romanus, & Dionysius, sed ab his citandis abstineo, propter incertum librorum. S. Irenaeus, qui passus est sub Severo anno 202. Lib. I. adversus haereses Cap. 9. loquens de quibusdam mulieribus à Marco Mago, & Haeretico seductis, ait: *Hae saepissimè conversae ad Ecclesiam Dei, confessae sunt; se corpore ab eo contaminatas fuisse, miroque ipsius amore exarsisse*.

Tertullianus de Poenitentia Cap. IX. inquit: *Exomologesis est, quâ delictum Domino, nostrum confitemur: non equidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio, Confessione disponitur; Confessione Poenitentia nascitur, Poenitentia Deus mitigatur*. Dallaeus primò tèntavit, in dubium adducere, an hic liber sit Tertulliani, quem non solum nostri, Baronius, Pamelius Rigaltius, sed ex haereticis Abrahamus Scultetus, & Andreas Rivetus, Tertulliano vindicant. Secundò respondet: exomologesim, non esse oris Confessionem, sed cordis, laboriosis Poenitentiae operibus contestatam, ut ibidem Tertullianus ait: *Exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis, disciplina est, &c.*

Contrà est: quia etiam hoc concesso, non potuit satisfactio imponi, nisi praeiret oris confessio; dicitur enim ibi: *Satisfactio, Confessione disponitur*. Si tamen quis contendat, olim Confessionem non fuisse factam uni Sacerdoti in aurem, sed toti Presbyterio; non pugnamus: diù enim id in Ecclesia servatum fuisse, docet Morinus Lib. II. Cap. 9. Sed hic non de modo, sed de substantia disputamus; modum enim Ecclesia pro rei opportunitate, potest aliter, atque aliter praescribere; adeoque Confessionem quasi publicam, ex causa, mutare in arcanam. Satis autem est; peccata nunquam remissa fuisse, nisi per Confessionem apud Sacerdotes, qui jus habent ea remittendi; unde S. Basilius in Regulis brevioribus, responsione ad quaestionem 288. scribit: *Necessario iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei*. S.Cy-

S. Cyprianus Lib. de Lapsis, fidem facit pro Ecclesia Africana, ait enim: *Quanto, & fide majores, & timore meliores sunt, qui, quamvis nullo Sacrificii, aut libelli facinore constricti; quoniam tamen de hoc, vel cogitarunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter confitentes, exomologesim conscientiae faciunt, animi sui pondus exponunt, & salutarem medelam parvis licet, & modicis vulneribus, exquirunt; scientes scriptum esse, Deus non irridetur.*

Accedit S. Augustinus Homilia XL. ex Quinquaginta, ubi scribit: *si ad ultimum vitae steterit, nescit si ipsam poenitentiam accipere, & Deo, ac Sacerdoti peccata sua confiteri poterit.* Et Homil. XLIX. *Nemo sibi dicat, occultè ago, apud Deum ago, novit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde ago;* ergo sine caussa dictum est, quae solveritis in terra, soluta erunt in Coelo? ergo sine causa datae sunt claves Ecclesiae.

Denique Victor Vitensis Lib. II. de Persecutione Vandalica narrat, quod quum ad finem quinti saeculi, quo ipse vivebat, persecutione Vandalorum, qui Arianismo erant imbuti, valdè infestaretur Africana Ecclesia: multi Episcopi, & Sacerdotes propter Catholicam Confessionem, exilio damnarentur, illorum vestigia insequens Christianorum turba, ex montibus, desertisque rupibus, ubi latuerant, descendentium, lamentabili voce exclamabant: *Quibus nos miseros reliquistis, dum pergitis ad coronas? qui hos baptizaturi sunt*

parvulos fontibus aquae perennis? qui nobis poenitentiae munus sunt collaturi, & reconciliationis indulgentia obstrictos, peccatorum vinculis soluturi? Quia vobis dictum est, quaecunque solveritis, &c.

Claudit agmen, Leo Magnus Epistola LXXX. ajens: *Reatus conscientiarum, sufficiat solis Sacerdotibus, indicari confessione secreta, &c.* Qui plura desiderat, adeat vel citatum Boileum, vel Emmanuelem à Schelstrate in Canonem II. Concilii Antiocheni Cap. 9. artic. 1. & sequentibus.

Opponit Calvinus, Chrysostomum Hom. II. in Psalmum L., ubi sic habet: *Si confunderis alicui dicere, quae peccasti: dicito quotidiè ea in anima tua; non dico, ut confitearis conservo tuo, qui exprobraret; dicito Deo, qui ea curat.* Similes sententiae extant, tùm apud eundem Chrysostomum alibi, tùm apud Cassianum ejus Discipulum, Collatione XX. Cap. 8., quas aggerant Melancthon, & Kemnitius.

Respondeo: Chrysostomum, qui fuit Nectarii Constantinopolitani Patriarchae Successor, in omnibus locis, qui ab adversariis afferuntur, improbare tantummodo Confessionem publicam, quae ab illo fuerat expuncta; ut enim testatur Origenes Homilia II. in Psalmum 37: olim, quum publica in usu esset confessio, qui adesse solebant, peccatoribus exprobant, quod indicant illa Chrysostomi verba, *non dico, ut confitearis conservo tuo, qui exprobret.* Idem Chrysostomus Hom. de Poenitentia, & Confessione: *Nunc autem neque neces-*

necessarium praesentibus testibus confiteri, &c. Et Homilia IV. de Lazaro: *Non cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes: mihi soli dic peccatum privatim, &c.* In secreta igitur, Confessione, nulli sunt testes, nulla exprobatio; ideoque non loquitur S. Doctor, nisi de publica confessione.

Opponit Brentius in Confessione Wictembergensi Capite de Confessione: primò Augustinum Lib. X. Confessionum Capit. 3., ubi ait: *Quid mihi est cum hominibus, ut audiant confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes languores meos? Curiosum genus ad cognoscendam alienam vitam; desidiosum ad corrigendam suam.*

Sed ut rectè notat Bellarminus, ità disputare, est simplicibus imponere. Ibi enim Augustinus, non loquitur de Confessione Sacramentali, sed de Confessione peccatorum praeteritorum, ac per baptismum dimissorum; ad eum finem instituta, ut cognoscatur, & laudetur Misericordia Dei.

Praeterea opponit Ambrosium Lib. X. in Lucam Cap. 96., ubi scribit: *Petrus doluit, & flevit, quia ut homo erravit; quod dixerit invenio quod flevit; lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego*; Et infrà: *Lavent lacrymae delictum, quod pudor est confiteri.*

Respondet idem Bellarminus, primò: tunc temporis, nondum Sacramentalem Confessionem institutam fuisse; ideo non mirum est, si Petri confessio non legatur. Secundò: Ambrosium loqui de lacrymis, quae Confessionem continent; ut quum quis erroris convictus ab

ali-

aliquo, non ore, sed lacrymis errorem fatetur; neque necessaria erat Petri vox, ut peccatum suum innotesceret Christo, qui omnia noverat, imò & id praedixerat, Quod autem fletu, scelus ille suum prodiderit; patet ex ejusdem Ambrosii verbis; quum ait ibidem: *Maluit Petrus suum accusare peccatum, ut justificaretur fatendo, quam gravaretur negando.*

PROPOSITIO SECUNDA

Poena peccatis debita, per Indulgentias potest, vel condonari, vel minui.

EST & haec de Indulgentiis, inter primi nominis controversias. Primi autem Indulgentiarum hostes, fuere Valdenses, qui alitèr dicti sunt, Pauperes de Lugduno, à Valdo quodam Lugdunensi, qui quum praedives esset, pauperibus omnia distribuit, atque ità Evangelicam vitam affectans, simpliciores in varias haereses pertraxit. Hos secutus est Wicleffus, cujus propositio 41. in Concilio Constantiensi damnata, sic habet: *Fatuum est credere Indulgentias Papae, & Episcoporum*. Huic, se comites dedere, Lutherus in Lib. de Captivitate Babylonica, ubi ait: Indulgentias esse pias Ecclesiae fraudes, quibus ad bona opera fideles allicit; Melanchon, Calvinus, aliique ejusdem perfidiae.

Ut autem Articulus hic Catholicorum pro-

procedat; primò supponendum est: post culpam remissam, superesse reatum poenae, ut patet ex illo Prophetae Nathan ad Davidem II. Regum XII. *Dominus transtulit peccatum tuum: verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos, nomen Domini: filius, qui natus est tibi, morte morietur*. Secundo supponendum est, esse in Ecclesia meritum Christi, quod est infiniti valoris; tum quoque Beatae Mariae, aliorumque Sanctorum satisfactiones, qui plus passi sunt, quam meruerunt; ut ait Job Cap. VI. *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera; quasi arena maris, haec gravior appareret*. Et S. Augustinus Serm. XV. de Verbis Apostoli: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre; est enim Martyrium, plena satisfactio*.

Tertio supponendum: omne opus bonum, posse alteri applicari, quatenus est satisfactorium; licet, non quatenus est meritorium. Nam, quod attinet ad justitiam distributivam, ego non possum, virtute mea, mereri alteri Praeturam, vel Tribunatum; sed quantum ad justitiam commutativam, possum pecunia mea, debitum alterius extinguere, eumque liberare; ergò quum satisfactio sit compensatio poenae, vel solutio debiti; possum pro alio solvere, & compensare; quum satisfactionem meam non mihi imputo, sed alteri, & cum eo communico: quae omnia plana sunt iis, qui Civilem Prudentiam attigerunt.

Probatur modo positio. Quod Ecclesia solvit super terram, id solvitur & in Coelo,

Mat-

Matthaei XVI. ; sed potest homo solvi, tùm à reatu culpae, tùm à reatu poenae ; ergo utriusque solvendi, potestatem habet Ecclesia ; imò si potest primum, à fortiori secundum, quod minus est. At quia satisfaciendum est Divinae Justitiae, & ut ostensum est, potest opus bonum, quatenùs est satisfactorium, alteri applicari ; ideo Ecclesia, non remittit poenam temporalem, nisi applicando satisfactionem Christi, & Sanctorum, quae sunt in Thesauro ipsius : itaque, sicuti culpam remittit, applicando meritum Christi ; ità remittit, & poenam ; quia verò culpa remitti nequit, nisi per infusionem gratiae, idcircò non remittit eam Ecclesia, nisi per Sacramenta, extrà quae gratia non datur ; at poena, ut remittatur, non indigèt infusione gratiae, quae supponitur acquisita ; propterea poena remittitur, etiam extrà Sacramentum.

Praeterea : Poenitentiae publicae, quae olim ab Ecclesia imponebantur, non tantum propter scandalum, sed etiam, ut Deo satisfacerent, juxtà testimonium S. Cypriani, Sermone ultimo de Lapsis : & S. Caesarii Arelatensis in Paraenesi ad Poenitentiam : poterant illae remitti prudenti arbitrio Episcopi, vel ob Martyrum intercessionem. Tertullianus in Libro ad Martyres : *Pacem quidam in Ecclesia non habentes, à Martyribus in carcere exorare consueverunt*. Vide etiam Canonem in *Actione* de Poenitentia distinct. I ; ergo consuevit olim Ecclesia, per indulgentiam, poenitentiae publicae, remittere poenam temporalem,

quae

quae post mortem manebat; alias, fraudem fecisset poenitentibus, quod impium est, & execrandum.

Denique, frustrà omninò Protestantes, nobis rei novitatem objiciunt. Nam Gregorius Magnus, qui sedit ante mille annos, Indulgentias populo concessit in diebus Stationum; neque tamen credibile est, saltem piis hominibus, S. Pontificem voluisse novam rem instituere, quam à Praedecessoribus non accepisset. Legimus etiam de Leone III. anno 803. Indulgentias largitum in Dedicatione Ecclesiae Beatae Mariae Aquisgrani. De Sergio II. anno 844. dedisse Indulgentiam trium annorum, & trium Quadragenarum visitantibus Ecclesiam S. Martini in Montibus; ut patet ex marmore quodam in eadem Ecclesia, vetustissimis characteribus inciso.

Veteres quoque memoriae, docent; Episcopos Indulgentias concessisse. Turpinus Remensium Archiepiscopus, plenas contulit Indulgentias is, qui Carolum Magnum comitarentur in expeditione contrà Saracenos Hispaniae. Pontius Episcopus Arelatensis, circà finem X. Saeculi, Indulgentias concessit in Dedicatione Ecclesiae Montis Majoris, ut notat Lucas Dacherius Tom. VI. Spicilegii. Idem de Gaufredo Episcopo Narbonensi ante sexcentos annos, refert Schelstrate in Canonem IX. Concilii Antiocheni Cap. 15. num. 13. In Concilio tamen Lateranensi sub Alexandro III, haec facultas in Episcopis restricta est; ita ut Episcopus in Dedicatione Ecclesiae, non possit

sit largiri ultra annum Indulgentiae : in Anniversario verò Dedicationis, tantum quadraginta dies, ut tamen prosint solis subditis Episcopi concedentis Cap. 4, & Cap. *quum ex eo* 14 de Poenitentiis, & Remissionibus. Mentitur ergo Kemnitius, quum ait : ante annum 1200. Indulgentias in Ecclesia, nullo usui fuisse.

CAPUT SEPTIMUM

De Unctione Infirmorum.

SAcramentum hoc negarunt Valdenses, Albigenses, & Wicleffus : posteriores derident quoque ; nimirum, qui sederunt in Cathedra irrisorum Lutheri, Calvinique ; ut Melanchthon, Kemnitius, Centuriatores Magdeburgenses, Dallaeus, & alii. Catholica verò Ecclesia, in Florentina Synodo, ac Tridentina, Sacramenti veritatem definivit, eamque strenuè, cum bono Deo tuetur.

PRO-

PROPOSITIO UNICA.

Unctio extrema, Sacramentum est.

Probatur, fidelissimo, Jacobi testimonio Cap. V. Epistolae, ubi ait: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: Et oratio fidei salvabit infirmum, & allevabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei*. Quidam aperti textus vim, non sustinentes, ad radices admoverunt securim; negarunt, scilicet, hanc Epistolam esse Canonicam, quorum vecordiam Libro I. castigavimus. Alii, nescio quid, de dono Miraculorum suspicantur, sed irrita sententia; verba enim illa eos jugulant: *Si in peccatis sit, remittentur*; infusio enim gratiae, solis Sacramentis est, à Deo concessa.

Suffragatur Traditio. Concilium Nicaenum ex Arabico versu Can. LXIX., distinguit inter oleum Infirmorum, Catechumenorum, & Chrisma. Cabilonense II. Can. 48.; Aquisgranense II. sub Ludovico Pio Can. 8., Moguntinum sub Rabaano Archiepiscopo Can. 26. Meldense apud Burcardum Lib. IV. Decreti Cap. 75.: ubi jubentur Parochi Feria V. in Coena Domini, accipere ab Episcopis ampullam ad ungendos aegrotos, juxtà Apostolicam Traditionem; Vormatiense Can. 72., & alia.

Ex

Ex Patribus citantur Chrysostomus Lib. III. de Sacerdotio : Origenes Homilia II. in Leviticum , Augustinus , Beda , Theophylactus, aliique .

Sed pondere, vincit Innocentius I. ad Decentium Cap. 8. : ubi perspicue docet : hanc unctionem esse Sacramentum à Jacobo significatum ; ideoque non dari nisi iis, qui capaces sunt aliorum Sacramentorum*. Pontifex est antiquissimus, utpotè qui sedit anno 402., vir doctus, ac pius, ab Augustino, Hieronymo, & Chrysostomo summopere commendatus ; nihil igitur est , quo ejus fides elevari possit ; unde ejus testimonio, probant ipsi Magdeburgenses Centuria V. Cap. 6., ritum ungendi morientes, illo saeculo in usu fuisse .

Opponit Calvinus . Legitur in Chronico Sigeberti , quod haec unctio instituta sit ab Innocentio I. ; immò audacior Kemnitius jactat , institutam illam à Felice IV. circà annum Christi 328., cujus rei , homo integrae frontis , nullum profert testimonium . Ex hoc autem concludunt: non hanc esse , de qua loquitur Jacobus, neque posse Sacramentum esse, quod est humanum inventum.

Respondeo : Sigibertum iisdem verbis uti, quae habet Innocentius in Epistola citata ; ubi Infirmorum unctionem , esse Sacramentum dicit , de quo loquitur Apostolus : se instituisse, non dicit ; imò disertè contrarium confirmat, dum illius testimonio utitur ; Respondet autem in ea Epistola Pontifex, ad dubitationem Episcopi Eugubini ; atque haec est ratio , cur non

multa

multa de hoc Sacramento, veteres scripserint; nam neque Innocentius de eo disseruisset, nisi ex nata occasione; quotidiana enim, & quae in continuo sunt usu, disputatione non indigent. Ad Kemnitium verò, qui sine armis manum conserere audet, respondemus; si quem ipse advocare possit testem, eum esse Philippum Bergomensem, in Supplemento Chronicorum; ibi tamen non asserit: Felicem IV. fuisse hujus Unctionis autorem, sed tantum monuisse, ut servaretur doctrina S. Jacobi, de inungendis moribundis; quod pro Catholico Dogmate, valenter militat.

CAPUT OCTAUUM.

De Sacra Ordinatione.

NEgarunt, Ordinem ullum esse Sacramentum, Lutherus in Lib. de Captivitate Babylonica (à quo tamen descivit in hoc articulo, ejus assecla Melanchthon) Mathias Flaccius Illiricus in Confessione Antuerpiensi Cap. II. Kemnitius in Anathome Tridentini, Parte II. Salmasius in Apparatu ad libros de Primatu Papae; atque alii. Calvinus in ea re bilinguis est; nam passim in Libris Institutionum, docet: duo esse dumtaxat Sacramenta, Baptismum, & Sacram Coenam: At Lib. IV. Cap. 14. §. 2. agnoscit, Ordinationem esse verum Sacramentum; aitque, duo antea solùm posuisse, quod loqueretur de Sacramentis, quae omnibus Fidelibus sunt communia.

PROPOSITIO PRIMA.

Ordinatio, Sacramentum est.

PRobatur primò, ex ratione Sacramenti, cujus nomine intelligitur signum externum, gratiam conferens, ex Divina Institutione. In Ordine, est Symbolum externum; manuum impositio, ex Traditione Apostolica; quod est adeò frequens in Actis, & Epistolis Pauli, ut nequeat id ignorare, nisi, qui in Sacra Pagina, peregrinus omnino sit. Gratiae verò largitio, constat ex illo I. ad Timotheum IV. *Noli negligere gratiam, quae in te est, per impositionem manuum Presbyteri*. Et II. ad Timotheum I. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te, per impositionem manuum mearum*. De Divina demùm institutione, docemur ex illo Actorum XIII. *Segregate mihi Saulum, & Barnabam*. Et Cap. XX. *In quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam*. Et ad Ephesios IV. de eodem spiritu dicitur; quod alios dicit Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores, & Doctores.

Allatrat Kemnitius ad singula. Ad primum: quod manus impositio, erat caeremonia quaedam, quâ utebantur Apostoli, quum pro aliquo orabant, eumque Deo commendabant; non fuit igitur symbolum Sacramenti, sed orationis. Et quum urgemus locum Actorum XIV. *Quum constituissent eis Presbyteros*, Graecè est: Quum per manus impositionem Presbyteros creassent; quae

quae verba, nullo pacto exponi possunt de oratione; respondet: quod *Chyrothonia*, non est manuum impositio, sed manuum extensio, quae fiebat in signum suffragii; unde distinguunt, in *Chyrothoniam*, & *Chyrothesiam*, ut illa sit manuum extensio, haec verò impositio.

Replico: nimis puerilem eam observationem esse, & à locutione Scripturae, Patrumque alienam, quod vel ipse animadvertit Salmasius in apparatu ad libros de Papatu pag. 178. Nam praeterquam, quod omnes Graeci *Chyrothoniam* vocant sublationem manuum, non quae fiebat à Populo in signum suffragii, sed quae fit ab Episcopis, supra caput Ordinandorum; Ita in Concilio Nicaeno, Chalcedonensi, in Novellis Justiniani passim; tum apud Chrysostomum, Theodoretum, aliosque Ecclesiasticos Scriptores: quâ de re videri potest Photius in Nomo-Canone, Titulo I., Cap. 28. Etiam ex Textu citato, manifestè refellitur; nam Lucas, dicit: Apostolos extendisse manus, non populum; ergo loquitur de impositione manuum, quae est ab Episcopo, non de suffragio, quod ferebatur à populo, manibus in Coelum sublatis.

Ad secundum, respondet: ad Sacramentum requiri promissionem gratiae justificantis; at in Ordinatione, non confertur gratia justificans. Sed illud falsum est; nam sufficit si tribuat gratiam gratum facientem; etenim non omne Sacramentum institutum est ad tollendum peccatum; alioqui, nec Eucharistia esset Sacramentum, quod nec ipse admittit Kemnitius.

Quod autem gratia, per Ordinationem collata, sit gratia gratum faciens; patet ex eo, quod non est gratia gratis data; non enim est donum Prophetiae, non Linguarum, non Miraculorum, aliave similis.

Ad tertium, ait; quod Christus, quum ordinavit Apostolos, dixit: *Hoc facite*: non unxit, non imposuit manus, neque instrumenta tradidit Consecrationis; quemadmodum, nec quum dixit: *Quorum remiseritis peccata*, &c. Itaque licet sit ex mandato Divino, ut Ministri ordinentur; tamen nullus est praescriptus ritus.

Reponimus; quod benè potuit Christus ordinare Apostolos, absque ulla caeremonia externa, quippe, qui non erat Sacramentis alligatus; tamen, quod non ità ordinaverit, non rectè probatur argumento negativo, quod non legatur in Sacris Literis; nam hujusmodi sunt infinita, quae scripta non extant; imò contrarium evidenter colligitur ex Sacris; quandoquidem, nequit homo gratiam Dei addicere certo alicui signo: Sed ex probatis, gratia est addicta impositioni manuum in Ordinatione; ergò necessarium est dicere, ejus ritus, Christum autorem fuisse.

Probatur secundo, Traditione. Esse enim Ordinationem Sacramentum, clarè pronunciant Concilium Chalcedonense Can. II.; ubi damnat eos, qui pecuniam pro Ordinatione accipiunt, quod Dei gratiam vendant. Concilium Bracharense II. Can. 3., Florentinum in Decreto Unionis, &c. tum Innocentius I. Epist. 18.

ad

ad Alexandrum Antiochenum ; Leo I. Epistola ad Diosphorum Alexandrinum ; Gregorius Magnus, IV. in libro Regum Cap. 5., Chrysostomus Lib. III. de Sacerdotio , ubi ait : *Non mortalis quispiam, non Angelus , non Archangelus , non alia quaevis creata potentia , sed ipse Paraclitus ,Ordinem ejusmodi disposuit* . Item Ambrosius Lib. de Dignitate Sacerdotali Cap. V. Hieronymus in Dialogo contrà Luciferianos: sed Augustini locus, cum primis notandus Lib. II. contra Parmenianum Cap. 13.; ubi de Donatistis loquens , ait: Ipsi explicent, quomodo Sacramentum baptizati , non possit amitti , & Sacramentum Ordinati possit amitti ; si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat , cur illud non amittitur , & illud amittitur?

PROPOSITIO SECUNDA.

Rectissimè Ecclesia , Coelibatum Sacris Ordinibus adnexuit.

PRimus Vigilantius, docuit: non esse ordinandos Diaconos, nisi uxores antea ducerent . Idem de Subdiaconis, statuerunt Graeci, in prophana illa Synodo, in Trullo habita : ubi etiam Canones Romanae Ecclesiae damnarunt. Altius in errorem, se demersit Wicleffus; censuit enim , etiam post Ordinationem , licere uxorem ducere . Id optimum visum est Luthero, in Libro de Abroganda Missa Privata;

& latè propugnarunt, Pomeranus in Lib. de Conjugio Episcoporum, Calvinus, Beza, Martyr, Centuriatores, & reliqui ejusdem spiritus.

Probatur Catholica sententia. Sacerdotes Levitici, quo tempore per vices suas, in Tabernaculo ministrabant, ab uxore abstinebant, ob reverentiam Deo debitam, Exod. XIX. *Sacerdotes, qui accedunt ad Deum, Sanctificentur, ne percutiat eos*. Quid autem intersit inter utrumque ministerium, & Sacrificium, exagerare non oportet; undè rectè inferunt, Siricius Papa in Epistola ad Himerium, Innocentius I. Epistola ad Victricium, Beda, aliique: convenire Sacerdotibus Christi, qui semper ministrant, uxorem omninò non habere. Quo spectant Aratoris, vetustissimi Poëtae versus.

Ecclesiae nunc Alma Fides, sine fine, pudicos
Pontifices, jubet esse suos.

Simile est argumentum Hieronymi Libro I. in Jovinianum ex Cap. 7. I. ad Corinthios; ubi Apostolus praecipit Conjugatis, ut ex consensu, vacent ad tempus, ab opere matrimonii, ut orationi instare possint. Sin enim Sacerdotes assiduè orationi incumbere debent, & perpetui sunt deprecatores; par est, ut perpetuò sint nuptiarum expertes: quo etiam ratiocinio, utuntur Origenes, & Epiphanius.

Concilium Nicaenum Can. III., prohibet Episcopo, Presbytero, & Diacono, ne foeminam ullam domi habeant, praeter Matrem, Sororem, Amitam. Neocaesariense Cap. I.: *Pres-*

Presbyter, si uxorem duxerit, Ordine suo moveatur. Carthaginense II. Can. 2.: *Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiae custodes, etiam ab uxoribus se abstineant; ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus*. Adde Concilium Illiberitanum, Aquisgranense, Agathense, atque alia, quae proferri possent. Sed singulare est, quod in Turonensi II. Cap. 15. summae puritatis specimen habet: *Nullus Sacerdotum, aut Monachorum, colligere alium in lecto suo, praesumat*. Testes proferre Patres, qui hac in re sunt permulti, tempus non patitur. Videri possunt apud Bellarminum Lib. I. de Clericis Cap. 19.

Opponit Calvinus: Apostolos uxores habuisse; exemplo igitur suo docuerunt, Sanctum esse connubium.

Respondeo: de Petro tantum, liquere, ex Sacra historia, uxorem habuisse; de aliis, varia est Patrum sententia: negant enim Tertullianus Lib. de Monogamia, & Hieronymus Lib. I. in Jovinianum; Affirmant de aliquibus, Ignatius Epistola ad Philadelphenses, & Clemens Alexandrinus Lib. III. Stromatum. Sed utrumque sit, constat: si qui ex Apostolis ante vocationem uxorem duxerant, eam deseruisse, quod testantur illis verbis apud Matthaeum Cap. XIX. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*. Plaudens autem Jesus, subjecit: *Omnis, qui reliquerit patrem, aut matrem, aut uxorem, &c.*

Secundo opponitur; quod Paulus ad Ti-

motheum, & ad Titum ſcribens, inter dotes Epiſcopo dignas, hanc recenſet, *ut ſit unius uxoris vir*.

Reſpondeo: quum idem Apoſtolus I. ad Corinthios VII. dixerit: *Qui nubit benè facit; qui non nubit, melius facit*: textus oppoſitus, nullo modo intelligendus eſt poſitivè, ut Epiſcopus uxorem habeat, quaſi conjugium ſit virtus Epiſcopi; ſed eſt accipiendus negativè, non quaſi Epiſcopus teneatur habere unam uxorem; ſed ut teneatur, non habere plures, quod ipſe concedit Lutherus.

Sed reſpondendum modò directè: Explicat textum S. Joh. Chryſoſt. in Homil. in Epiſtolam 1. ad Timoth., ubi & ſibi nodum objicit, & ſolvit; inquit enim: *Si qui uxorem duxit, ſollicitus eſt, quae ſunt mundi: Epiſcopum autem hujuſmodi ſollicitudine tangi non convenit: quomodo ſuperius dixit, unius uxoris virum? quidam illum, qui poſt uxoris obitum conſtituetur Epiſcopus, ſignificaſſe intelligunt. Alioqui, licet eum, qui uxorem habeat, quaſi non habentem eſſe. Tunc nempe, ritè illud conceſſit pro tempore, ac pro rei natura, quae tunc inerat*. Quae Chryſoſtomi verba, exponens Natalis Alex. in Hiſt. Eccl. Saecul. IV. Diſſert. 19. ſubdit. *Oeconomiae, quae in Eccleſiae exordiis neceſſaria erat*: tribuit S. Joh. Chryſ., quod ad Epiſcopatum aſſumpti ſint, qui uxorem duxerant, quamvis debeant eſſe quaſi non habentes, ideſt matrimonio non uti, ex quo Epiſcopi conſecrati ſunt.

Tertio opponitur illud ejuſdem Capitis

I.

I. Corinthiorum : *Propter fornicationem, unusquisque uxorem suam habeat.*

Respondeo : Apostolum loqui de Conjugatis, qui quum in Paganismo uxorem duxissent ; post susceptum Baptisma dubitabant, an licebat uxore uti ; quibus respondet Paulus, ut quisque suam retineat, & conjugale officium praestet : qui sensus, ex subjectis verbis eruitur : *Dico autem non nuptis, & viduis ; bonum est eis, si sic permanserint* ; & infrà : *Solutus es ab uxore, noli quaerere uxorem, &c.*

Quarto opponunt, ex eadem Epistola Cap. IX. ubi Paulus inquit : *Nunquid non habemus potestatem Sororem, Mulierem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli, & Fratres Domini, & Cephas?*

Respondeo : non esse hunc locum de uxoribus accipiendum, sed de Religiosis foeminis, quae sequebantur Apostolos, eisque ministrabant, ut secutae erant Christum, Lucae VIII.: ità exponunt Graeci, & Latini ferè omnes, & ipsa Graeci sermonis proprietas ostendit ; ibi enim vox *Mulierem*, nequit pro uxore intelligi, quum articulo careat. Ceterum licet velimus de uxoribus accipere Apostolorum, cum Clemente Alexandrino ; tamen ex istius sententia, cessaverat inter eos, conjugale officium, & loco sororum habebantur : unde ait Apostolus ; Sororem Mulierem, &c. quod contra Protestantes satis erit.

CA-

CAPUT ULTIMUM.

De Matrimonio.

MAtrimonium esse illicitum, ac simulatam fornicationem, docuerunt, olim Simon Magus, haereticorum caput; tùm Marcion, Gnostici, Manichaei; quam pudendam insaniam jamdudum à Christianismo exulcantem, suscepit, ac restituere conatus, quidam Durandus de Valdach Saeculo XIV.; sed ea pernicies, simul cum autore, flammis absumpta est in Aragonia, ut refert Genebrardus ad annum 1327. Reformati nostrae aetatis, non negant esse bonum, & à Deo institutum; negant esse Sacramentum; quorum duos, satis est indicasse Choragos, Lutherum, & Calvinum, qui Lib. IV. Cap. 19. §. 34. ait; *non magis Matrimonio rationem Sacramenti convenire, quam agriculturae, aut tonstrinae, aut Sutoriae arti.* Hunc errorem, semper ab Ecclesia damnatum; novissimè in Tridentino, Sessione XXIV. Canone 1.

PRO-

PROPOSITIO UNICA.

Matrimonium, esse verum Christianorum Sacramentum.

AD hoc probandum, Pauli afferri solet locus ad Ephesios V., ubi de Matrimonio ait: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*: vel ut in Graeco est, *In Christum, & Ecclesiam*. Ambrosius Commentario in eum locum (qui tamen falsò ipsi tribuitur) ait: Mysterii Sacramentum grande, in unitate viri, & foeminae esse significat. Fateor tamen, hunc textum, non esse satis clarum, & appositum, ut sentit Cardinalis Cajetanus in eum locum, & Launojus, qui de veteri Matrimonio, Apostolum loqui affirmat. Ceterum potest ex eo elici argumentum non spernendum. Paulus enim eo Capite, Conjugatos hortatur ad mutuam dilectionem; hoc autem pro ratione affert, quia *Sacramentum magnum est*; licèt verò subdat de Christo, & Ecclesia; tamen si ratio Mysterii nullo modo ad Matrimonium pertineat, jam argumentatio erit inepta. Sensus igitur est: Mysterium magnum esse in Matrimonio, propter significationem Conjugii Christi, cum Ecclesia.

Porrò

Porrò Traditio (cui Libro I. autoritatem vindicavimus) validissimum ferre potest subsidium. Consensus enim Ecclesiae, tùm per Sanctos Doctores, Chrysostomum, Hieronymum, Leonem, praecipuè verò Augustinum Libro de Fide, & Operibus Cap. VII. ajentem: *In Civitate Domini, in monte Sancto ejus, hoc est in Ecclesia Nuptiarum; non solum vinculum, sed etiam Sacramentum commendatur*; & alibi: tum per Concilia manifestatur, ut in Veronensi sub Lucio III., Florentino, Constantiensi, & Tridentino; atque hanc fuisse Fidem Ecclesiae, non tantum Latinae, ut patet ex omnibus Theologis, qui post Magistrum scripserunt; sed etiam Graecae, usque ad nostra tempora, ut constat ex censura Confessionis Augustanae, per Jeremiam Patriarcham Constantinopolitanum, anno 1570.

Opponit Calvinus. Si Matrimonium esset Sacramentum, non pugnaret cum aliis Sacramentis; at pugnat cum Sacramento, per Pontificios, non igitur est Sacramentum.

Respondeo: Sacerdotes non arceri à Matrimonio, quatenus est Sacramentum; sed quatenùs curas, & impedimenta ingerit, quae à Divinis rebus avocant, II. ad Corinthios VII. *Qui cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.*

Secundo opponitur. Licet pro Matrimonio contrahendo pecuniam promittere; ergo

go non est Sacramentum; alioqui Simonia admitteretur.

Respondet S. Thomas II. II. quaest. 100. artic. 20., non dari pecuniam pro Sacramento, sed pro civili contractu, ad onera Matrimonii subeunda.

Tertio opponitur. Si Matrimonium gratiam conferret, esset quid perfectius continentiâ, quae gratiam non confert. Hoc autem fallum est, juxtà illud: *Qui non nubit, melius facit*.

Respondeo: quod aliud est conferre statum cum statu, aliud statum cum Sacramento; status continentiae, semper est perfectior, majorisque gratiae, & meriti: Sacramentum vero semper auget gratiam in quocumque statu suscipiatur. Unde si Coelebs nubat, augetur ei gratia; sed majorem habet gratiam apud Deum, si nuptias contempsisset.

Denique opponitur. Si infideles baptizentur, eorum Conjugium nihil amplius habet post Baptismum, quam antea haberet; sed tunc non erat Sacramentum, ergo neque postea.

Respondeo: amplius hoc habere, quod in infidelitate non erat omnino insolubile, post Baptismum est indissolubile, quod est res Sacramenti, seu proprium Matrimonii Christianorum. Sive igitur denuò contrahant, sive maneant in veteri contractu, novus consensus, vel expressus, vel tacitus, per ipsam copulam, Sacramentum facit Conjugii.

gii. Atque hic finis esto Institutionum Dogmaticarum, in quibus, si quid incautè dictum est, quod pios homines offendere possit, indictum volo.

FINIS.

I N-

INDEX CAPITUM

PROPOSITIO II.

PROPOSITIO III.

CAPUT III.

PROPOSITIO I.

PROPOSITIO II.

PROPOSITIO III.

P tum

PROPOSITIO IV.

LIBER II.

De Deo uno, & Trino.

CAPUT I.

PROPOSITIO I.

PROPOSITIO II.

PROPOSITIO III.

CAPUT II.

PRO-

PROPOSITIO UNICA.

CAPUT III.

PROPOSITIO UNICA.

CAPUT IV.

PROPOSITIO UNICA.

LIBER III.

PROPOSITIO I.

PROPOSITIO II.

IN-

INDEX CAPITUM

Secundi Tomi.

LIBER IV.

PRO-

PROPOSITIO UNICA.

CAPUT IV.

PROPOSITIO I.

PROPOSITIO II.

PROPOSITIO III.

CAPUT V.

De Sacrificio Missae.

PROPOSITIO I.

PROPOSITIO II.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

CAPUT ULTIMUM.



IN-

INDEX

Rerum notabilium, quae in Primo Tomo Continentur.

A...



C.

Corin-

D.

Va-

Da-

Con-

H.

I.

Ima-

L.

M.

N.

O.

Para-

P

Q.

R.

Reli-

S.

Sacra-

Tem-

T.

Scri-

V.

Vigi-

IN-

INDEX

Rerum II. Tomi.

Baptis-

B.

C.

Cha-

D.

E.

F.

G.

H.

I.

Cor-

L.

Male-

M.

N.

O.

An

P.

Est

Sacer-

S.

Tege-

T.

V.

FINIS.

